



# **Disputatio antiquaria inauguralis de educatione et institutione apud Romanos**

<https://hdl.handle.net/1874/276451>

8

II

6

DISPUTATIO ANTIQUARIA INAUGURALIS

DE

**EDUCATIONE ET INSTITUTIONE  
APUD ROMANOS**

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**GUILIELMI KOSTER,**

MED. DOCT. ET IN FAC. MED. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE  
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

**PRO GRADU DOCTORATUS**

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTET

**GERARDUS ASSISUS HULSEBOS,**

RHENO-TRAIECTINUS.


D. XXI M. IUNII A. MDCCCLXVII, HORA I DIMIDIATA.



TRAIECTI AD RHENUM,

TYPIS MANDAVERUNT KEMINK ET FILIUS,

MDCCCLXVII.



VIRIS AMPLISSIMIS

GYMNASII CURATORIBUS

NICOLAO PETRO JACOBO KIEN,

L. U. D. ORDINIS LEONIS NEDERLANDICI DECURIONI CIVITATIS RHENO-  
TRAIECTINAE CONSULI ACADEMIAE CURATORI  
ORD. GEN. ADSRIPTO.

GUILIELMO RICHARDO BOER,

L. U. D. CIVITATIS RHENO-TRAIECTINAE NOMOPHYLACI.

NICOLAO FREDERICO VAN NOOTEN,

L. U. D. CIVITATIS RHENO-TRAIECTINAE SENATORI  
IN TRACTU TRAIECTINO IUDICI.

GERARDO GUILIELMO BRILL,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET IN ACADEMIA RHENO-  
TRAECTINA PROFESSORI.

BARTHOLDO IACOBO BARONI LINTELO DE GEER,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. ET I. U. DOCT. ET IN ACADEMIA  
RHENO-TRAECTINA PROFESSORI.

CHRISTOPHORO HENRICO DIDERICO BUYS BALLOT,

MATH. MAG. PHIL. NAT. DOCT. ORDINIS LEONIS NEDERLANDICI EQUITI  
DISCIPL. MATH. ET PHYS. IN ACADEMIA RHENO-TRAECTINA  
PROFESSORI.

D. D. D.

AUCTOR.

## PRAEFATIO.

---

Quum ante hos quatuor annos Vir Clarissimus KARSTEN vester quondam Viri Amplissimi! in Gymnasio Rheno-Traiectino regendo socius egregius me rogaverat, ut ad tempus praeceptoris munus in eo susciperem, non potui opinari me per totum annum discipulos esse instituturum.

Causa haec erat, quod Vir Doctissimus SCHRÖDER praeceptor designatus infirmissima valetudine impediebatur, quominus graviores subiret labores.

Eius igitur rogatu discipulos mihi iam caros docere perrexi motus quoque eximia Vestra in me benevolentia summaque humanissimi Rectoris Gymnasii bonitate.

Gravis fuit annus insequens huius Urbis et Academiae et Gymnasio.

Subito enim nobis eripuit sacra mors virum omnibus carum, KARSTEN dico, qui quantum sui desiderium Vobis quoque reliquerit, paucis verbis expediri nequit. Coniungebat enim summam doctrinam cum singulari comitate; magna erat indulgentia in eos, quibus erat voluntas, ut vires deessent; lenis erat iudex, nunquam acerbus reprehensor; sic igitur vita quoque studium commendavit illarum Literarum, quae, ut cum Seneca loquar, optime felicitatem extollunt et facillime minuunt calamitatem et ornamenta hominum maxima sunt et solatia. De ceteris eius virtutibus taceo; hoc dico: eum non sibi sed alteri vixisse.

Viribus in dies deficientibus munia non sustinisset SCHRÖDER, nisi duo Academiae nostrae cives summa animi generositate auxilio ei fuissent.

Quum autem tempus instaret, ut post ferias aestivas lectiones in Gymnasio instaurarentur, rogavit me Vestro nomine Vir Clarissimus BRILL, ut in pristinam provinciam redirem. Quamquam vero laboris gravitas et virium tenuitas suadebant, ut discendo potius quam docendo operam impenderem, tamen memor et Vestrae et Rectoris ceterorumque Gymnasii praeceptorum summae humanitatis dicto au-

diens fui, quum praesertim mihi persuasum esset, me Vos omnes non habiturum esse operis exactores sed adiutores fautoresque benevolentissimos.

Anno illo nondum praeterito nuncius ad nos perlatus est tristissimus: SCHRÖDER diem obierat supremum: occidit ille flebilis parentibus, amicis, discipulis quoque suis Literarumque cultoribus.

Vobis autem Viri Amplissimi! iam sic eram probatus tantaque fuistis erga me benevolentia, ut Nobilissimo Senatui Urbano me commendaveris, quo factum est, ut praeceptoris munus in Gymnasio nostro gravissimum mihi sit mandatum.

Vobis igitur quantum debeo, dicere vix possum. Hinc nihil habui antiquius quam ut Vobis animum meum gratum ostenderem.

Accipiatis velim hoc, qualecumque sit, munusculum ea, qua semper in me fuistis, indulgentia, quod si Vobis pro parte saltem placuerit, suscepti laboris me non poenitebit.

Sit vita Vestra Vestrorumque omnium longa et felix floeantque auspiciis Vestris et Gymnasium et liberalia studia Urbis nostrae.

Antequam initium sumpsi scribendi, de materie, quam elaborarem, multum cogitavi; animo enim obversabantur Horatiana illa:



Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam  
 Viribus et versate diu, quid ferre recusent,  
 Quid valeant humeri.

Tandem vero argumenti gravitate et iucunditate  
 allectus, non improbante Patrono Aestumatissimo,  
 DE EDUCATIONE ET INSTITUTIONE APUD ROMANOS scri-  
 bere constitui.

Exstat quidem hac de re Disputatio, quam ante  
 hos quadraginta annos conscripsit VAN DEN VELDEN  
 nostras; verum huic operi multa deesse non mirum  
 est; caruit enim auctor plurimis subsidiis, quae  
 nunc praesto sunt inquirenti in hanc rem; tum pro  
 temporis angustiis res gravissimas, quae huc perti-  
 nent, non satis potuit explorare; hinc multa eaque  
 magni momenti vix attigit, alia minus ad rem per-  
 tinentia uberius et fusius tractavit.

Praeter libros, quos data opportunitate comme-  
 morabo, ad argumentum nostrum pertinent et alii  
 et hi in primis: Geschichte der Erziehung, des  
 Unterrichts und der Bildung bei den Grie-  
 chen, Etruskern und Römern von Dr. J. H.  
 Krause, Halle 1851, Abschnitt II; Ge-  
 schichte der Erziehung und des Unterrichts  
 im Alterthum von Fr. Cramer, Elberfeld  
 1832—38; Niemeyer, Grundzätze der Erzie-

hung und des Unterrichts, Theil III, p. 388—419; Pauly Realencycl. III, p. 41—56.

Copia mihi non fuit legendi aut inspiciendi, quae antiquiores hac de re protulerunt, quos commemorat Bernhardy (Grundriss der Röm. Litt. Vierte Bearb. p. 38) et Rein (Gallus von Becker, Dritte Ausg. Zweiter Th. p. 97.)

Sed ut eo perveniam, quo iam dudum tendit oratio mea, ad Te me converto, Clarissime ROVERS, Patrone Aestumatissime! qui magna Tua doctrina in hoc libro conscribendo sic mihi opem tulisti, ut gravissimum Te laboris adiutorem mihi fuisse grato animo profitear. Per omne illud tempus, quod in hac Musarum sede versatus sum, non uberrimum tantum fructum e praestanti tua cepi institutione, verum etiam expertus sum, quantopere Tibi discipuli cordi sint, quos non speciosis verbis nec inanibus blandimentis allicere sed optimis Tuis consiliis atque indefesso labore adjuvare et ad felicem studiorum finem perducere nunquam desinis.

Tibi quoque Clarissime BRILL! magna a me debetur gratia; Tu enim incitasti me, ut priore vitae statu relicto totum me humaniorum Literarum studiis traderem, et non tantum incitasti sed etiam adjuvisti. Humanitas Tua sic in ore est omnium Academiae civium, ut laudes Tuas praedicare su-

pervacaneum sit; hoc unum tacere non possum, lectiones tuas in primis propter praeclaras de rebus divinis et humanis, quas saepe in iis protuleris, sententias, mihi fuisse et iucundissimas et utilissimas.

KARSTENI vestigiis insistens Te talem praestitisti virum, Clarissime HERWERDEN! ut omnibus persuasum sit ad Literarum Humaniorum studia Te gravissimum iam adiumentum attulisse Academiae civibus; quamquam autem, quod graviter doleo, mihi non contigit, ut doctissimis Tuis disputationibus saepe interesserem, tamen occasione oblata studiis meis maxima favisti liberalitate, quod ut facere pergas, enixe Te rogo.

Vestrum quoque Clarissimi OPZOOMER et MILLIES! quorum doctrinae praestantiam dicendique vim et elegantiam in scholis saepius sum miratus, auxilium nunquam frustra invocavi.

Vobis igitur omnibus Literarum Professores! me permultum debere non possum non profiteri, quare toto pectore Vobis, splendidum quidem sed arduum saepe et confragosum quibus est vitae iter, eam exopto animi securitatem, in qua posita est vita beata.

Magna benevolentia, Vir Doctissime DU RIEU! mihi auxilium Tuum petenti viam monstrasti, qua voti compos fierem; commendasti me Viro Doctissimo SURINGAR in Urbe Vestra Gymnasii Rectori, qui e

bibliotheca sua mihi summa liberalitate non tantum illos suppeditavit libros, quos alibi frustra iam quae-siveram, sed alios praeterea, quos mihi utiles fore putavit.

Maximas Vobis gratias ago Viri Doctissimi! pro benignitate Vestra et Tibi quoque Vir Nobilissime KRAMERS! qui mihi misisti dissertationem academicam, quam cuius es successor in Schola florentissima, quae Noorthey dicitur, PETRUS DE RAADT scripsit sistentem comparationem principiorum educationis apud Romanos et recentiores artis paedagogicae auctores.

Non est huius loci Optime Pater! laudes et gratias Tibi agere. Quia vero, ut Plato nos docet, parentibus fas est et prima ac maxima debita, omnium antiquissima debitorum persolvere, si silentio Te praeteream, quae fundamentum est omnium virtutum pietatem, neglexisse merito videar. Officio me non defuisse sciam, si factis ostendero, quam bonum mihi dederis exemplum, quod imitarer.

Amicitia Vestra Sodales! secundas res mihi splendidiore fecit et adversas partiens communicansque leviores.

In Vestra conversatione hoc mihi evenit; non semper deprehendi, quemadmodum aut quando mihi profuerit, profuisse tamen scio.

Pro salute Vestra vota nuncupare nunquam desinam. Contingant Vobis optima quaeque, diuque mecum coniunctissime vivatis faxit Deus Optimus Maximus.

Scrpsi Traiecti ad Rhenum

a. d. XVII Kal. Julias.

---

## CONSPECTUS.

---

Prolegomena . . . . .	1.
CAPUT I.	
Educationis primordia . . . . .	26.
CAPUT II.	
De institutione in ludis literariis . . . . .	58.
CAPUT III.	
De institutione in scholis grammaticorum . . . . .	84.
CAPUT IV.	
De institutione in scholis rhetorum . . . . .	103.
CAPUT V.	
De ratione, qua institutio in scholis ordinabatur deque praeceptorum conditione . . . . .	134.
CAPUT VI.	
De studiis quibusdam aetatis iuvenilis, quae ad certum scholarum genus referri nequeunt . . . . .	152.
CAPUT VII.	
Tirocinium fori. . . . .	172.
CAPUT VIII.	
De cura ab Imperatoribus in educationem et institutionem collata . . . . .	199.

---

Multum adhuc restat operis multumque restabit,  
nec ulli nato post mille secula praecludetur occasio  
aliquid adhuc adiciendi. Sed etiamsi omnia a vete-  
ribus inventa sunt, hoc semper novum erit, usus et  
inventorum ab aliis scientia ac dispositio.

Non ergo sequor priores? facio, sed permitto mihi  
et invenire aliquid et mutare et relinquere.

SENECA.

## PROLEGOMENA.

---

Respublica Romana quinque demum seculis post Urbem conditam tam frequens habere coepit commercium cum exteris nationibus, ut vita privata sensim a priscis institutis deflecteret. Ab eo inde tempore studia Romae innotuerunt, quae educationem et institutionem mutarent earumque fines proferrent.

Graecia devicta, studium grammatices in urbem illatum est; mox rhetores et philosophi Romam se contulerunt. Qui primum in domos cultiorum recepti artes suas privatim docuerunt, sub finem vero liberae reipublicae scholas multas in urbe aperuerunt, quae mox frequentabantur ab adolescentibus, qui in cultiorum numero haberi cupiebant.

Denique exstiterunt sub Imperatoribus scholae



publicae, quarum praeceptores e publico salarium accipiebant.

Quum autem primis temporibus educatio fere esset domestica literarumque cultus tenuis, commodum nobis visum est eam adumbrare educationis atque institutionis imaginem, quae tempora in primis referat Augusti eiusque aequalium; tunc enim vigebat adhuc prisca educandi ratio in paucis familiis; nec postea subierunt magnam commutationem ea, quae illis temporibus invaluerant et florebant.

Ne tamen aliquid desit, data opportunitate ea referemus, quae ex antiquioribus temporibus nobis innotuerunt; denique adiiciemus enarrationem eorum, quibus Imperatores educationi et institutioni prospicere conati sunt.

Vix opus est, ut dicam vulgo nobiliorum tantum filios institutos esse illis disciplinis, quae ad quotidianam vitam non pertinerent, et longe plurimos in iis substituisse, quae in ludis literariis traderentur.

Antequam vero ad hoc argumentum exponendum aggrediamur, iuvat paucis disputare de parentibus.

---

## DE PARENTIBUS.

---

Apud Romanos nihil sanctius, nihil omni religione munitius erat, quam domus uniuscuiusque civium, ubi arae erant, et foci, dii penates, sacra, religiones, caerimoniae continebantur.<sup>1)</sup> Primum locum ibi tenebat paterfamilias, dominium habens in domo et in ea pro tota familia rem divinam faciens.<sup>2)</sup> Huic igitur omnes, qui ad familiam pertinebant, obtemperabant.

Secundum locum tenebat materfamilias, quae sacris suis relictis, liberorum quaerendorum causa in mariti familiam ritibus solemnibus recepta erat.<sup>3)</sup>

Sic sacra familiae ab interitu servabantur et res publica civibus augebatur, quod erat summum apud

---

<sup>1)</sup> Or pro domo 41.

<sup>2)</sup> Dig. L, 16, 195, 2. Cato. R. R. CXLIII.

<sup>3)</sup> Cod. V, 4, 22.

veteres Romanos matrimonii propositum. Hinc divortium permissum, si uxor erat sterilis, hinc adoptio inventa, hinc coelibatus vetitus erat.

Matrisfamilias dignitatem honorifica testantur nomina, quae ei tribuuntur: dicitur enim *κυρία τοῦ οἴκου* et *οἰκοδέσποινα*.<sup>1)</sup> Cui tamen summopere cavendum est, ut illo honore dignam se praestet, nam patrifamilias est potestas in eam animadvertendi eamque interficiendi adhibito cognatorum concilio; in adulterio deprehensa statim ab eo interfici potest.<sup>2)</sup>

Est autem patrifamilias filiae loco; nihil possidet, nam quidquid habet, ei cedit, inter cuius heredes refertur; quam matrisfamilias conditionem Livius<sup>3)</sup> vocat servitutem muliebrem.<sup>4)</sup>

Omnia illa iura cohaerebant cum conventionem in manum, ut veteres loquebantur, quae coniuncta erat cum iustis nuptiis. Quum vero antiqui mores negligenter priscique ritus tollerentur, in usum venit liberum matrimonium, quo uxor manebat in patris sui potestate vel in tutela et libere de bonis suis disponebat. Sed ipsi veteres audiendi sunt, quo melius Romanorum de matrimonio sententiam cognoscamus.

Plutarchus<sup>5)</sup> dicit: „si qua uxor natura est mo-

<sup>1)</sup> Dion. Hal. II, 25. Plut. Quaest. Rom. 30.

<sup>2)</sup> Tac. Ann. XIII, 32. Gell. N. A. X, 23. <sup>3)</sup> XXXIV, 7.

<sup>4)</sup> De uxoris conditione vid. Dion. Hal. l. l.

<sup>5)</sup> Coniug. praecc. VI.

rosa et immoderata, decet virum sapientem esse et sic ratiocinari: non possum eadem uti uxore et amica;" et Seneca<sup>1)</sup>: "in aliena uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu; nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram." "Omnes" ait Terentius<sup>2)</sup> "qui amant, graviter sibi dari uxorem ferunt." Q. Metellus Censor censuit, ut omnes coegerentur uxores ducere liberorum creandorum causa, e cuius oratione Gellius<sup>3)</sup> haec memorat: "si sine uxore possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode nec sine illis ullo modo vivi possit, salutis perpetuae potius quam brevi voluptati consulendum." Ex his, ni fallor, perspicuum est, aliter Romanos de matrimonio statuisse quam recentiores. Quanto melius de eo iudicaverint philosophi, e verbis apparet Musonii Rufi, qui vixit tempore Neronis, quae quidem retulit Stobaeus<sup>4)</sup>. "Quaenam vero arctior et dulcior amicitia quam viri et coniugis? Cuius enim absentia adeo desiderabilis est, quam viri uxori et uxoris viro? Aut cuius praesentia magis idonea fuerit ad levandam tristitiam vel augendum gaudium vel calamitatem mitigandam? . . . . Neque pater aut mater prudens plus se a liberis diligi requirunt quam coniuges,

<sup>1)</sup> Fragm. XIII, 84 sq. (Haase). <sup>2)</sup> Andr. I, 2, 20.

<sup>3)</sup> N. A. I. 6. <sup>4)</sup> Serm. 65.

quibuscum nupti sunt. Quin etiam ex historia apparet, quanto maior sit uxoris in maritum amor quam parentum erga liberos." „Quid indignius quam cum corpus quidem contubernio utitur, mens vero foris habitat" ?<sup>1)</sup> Medio seculo tertio quum sacra christiana iam vim haberent in animis eorum, qui iis nondum addicti essent, Marcellinus praeclare iudicavit de matrimonio, quod vocat „consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicationem." <sup>2)</sup>

Quod in expositione de patria potestate apparebit, de uxore quoque valere nobis videtur, nempe singulos homines temporum momentis sensim in libertatem vindicatos esse eorumque dignitatem magis magisque eluxisse.

Sed ut eo redeamus, uxor libera erat ab omnibus operis servilibus; sedebat in atrio inter ancillas lanae dedita, res domesticas administrans; tum in primis liberos suos alebat eosque educandos curabat. Aderat uxor convivio virorum sedens in sella seque vino abstinens. Calendis Martiis (Matronalibus) tota familia cum votis dona ei afferebat; dies eius natalis erat etiam dies festus. Cultu et urbanitate non carebat, quo nomine maritus ei saepe proderat. Terentia Ciceronis uxor a Seneca<sup>3)</sup> dicitur coniux

<sup>1)</sup> Serm. 68. cf. P. Nieuwland. Diss. de Mus. Rufo (1783) p. 36 sq.

<sup>2)</sup> Pand. XXIII, 2, 1. <sup>3)</sup> Fr. XIII, 61.

egregia, quae de fontibus Tullianis hauserat sapientiam; et Pompeius Saturninus uxorem, quam virginem acceperat, teste Plinio, <sup>1)</sup> doctam politamque reddidit. Hinc non mirum, maritum consuluisse uxorem de rebus domesticis paullo gravioribus, v. e. de filiabus collocandis, quin etiam cum ea collocutum esse de rebus publicis. Sic Cicero <sup>2)</sup> memorat sermonem de rebus politicis habitum a se cum Bruto, Cassio et Favorino, cui Servilia mater Bruti, Tertulla Cassii uxor et Porcia Bruti uxor interessent. Matrona quando in publicum prodibat stola matronali induta habebat comites eius aetatis, qui impudicos, si nihil aliud, verecundia annorum removere poterant. <sup>3)</sup> Poterat quidem matrona in ius vocari, sed corpus eius attingere non licebat. Aderat igitur in iudiciis, in theatro, in locis publicis. Habebat quoque sacra sua et dies festos ut Carmenalia, Matronalia, Matralia, sacrum Cereris, sacra Bonae Deae. Post mortem nobilibus mulieribus virorum instar laudatio publica pro rostris habebatur.

Pertinent quidem ea, quae attulimus, ad recentiora rei publicae Romanae tempora, quum maiestas patrisfamilias iam valde imminuta erat, attamen antiquioribus quoque temporibus honorem auctoritatemque matribus non defuisse probant ea, quae

---

<sup>1)</sup> Ep. I, 16, 6.

<sup>2)</sup> Ep. ad Att. XV, 11.

<sup>3)</sup> Seneca Controv. II, 15, 3.

traduntur de Tanaquili, de Lucretia, de Veturia et de Virginia.

Apud alios Italiae populos idem obtinuisse efficitur ex Etruscorum inscriptionibus sepulchralibus, in quibus vulgo nomen occurrit matris defuncti. <sup>1)</sup> Non possum non duos Valerii Maximi locos afferre, qui docent duris illis Romanis, quales saepe in historia apparent, dulciores humanae naturae affectus non defuisse. „Quoties” ait <sup>2)</sup> „inter virum et uxorem aliquid iurgii intercesserat, in sacellum deae Viriplacae, quod est in Palatio, veniebant et ibi invicem locuti quae voluerant, contentione animorum deposita concordēs revertebantur.” Eodem teste <sup>3)</sup> „convivium etiam solemne maiores (Romanorum) instituerunt idque charistia appellaverunt, cui praeter cognatos et affines nemo interponebatur, ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensae et inter hilaritatem animorum fautoribus concordiae adhibitis tolleretur.”

Quaeri autem potest, cur sub ultima reipublicae tempora Romani tam alieni facti sint a matrimonio ineundo, ut peculiaribus opus fuerit legibus, quibus coelibatus prohiberetur? Cui quaestioni haec videntur respondenda. Morum corruptela effecit, ut iam Plauti tempore iuvenes virique essent, qui magis delectarentur consuetudine meretricum quam honestarum feminarum; tum ipsae matronae, a maritis

---

<sup>1)</sup> Pauly, Real encycl. III, p. 41. <sup>2)</sup> II, 1, 6. <sup>3)</sup> II, 1, 8.

male habitae, morosae esse coeperunt. Hinc matrimonia inibantur eo consilio, ut maritus uxoris dote locupletatus nomen auctoritatemque sibi compararet. Dotatas illas uxores superbas saepe fuisse eoque tendisse, ut in maritum dominarentur, non est quod miremur.

„Quae indotata est” ait Plautus <sup>1)</sup> „ea in potestate est viri: Dotatae mactant et malo et damno viros.”

Maiorum etiam gloria suisque virtutibus sese effequentes, haud amabiles erant uxores. Hinc Iuvenalis: <sup>2)</sup>

Malo Venusinam, quam te, Cornelia, mater  
Gracchorum, si cum magnis virtutibus adfers  
Grande supercilium et numeras in dote triumphos. <sup>3)</sup>

Sed gravissima causa, cur matrimonium evitaretur, posita erat in immoderato luxuriae studio, quae iam brevi post bellum Punicum primum invalescere coepit. Hinc C. Oppius a. 215 legem tulit: „ne qua mulier plus semuncia auri haberet: neu vestimento versicolori uteretur: neu iuncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur,” quae lex viginti annis post, vehementissime renitente M. Porcio Catone, mulierum auctoritate sublata est. <sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Aul. III, 8, 60. <sup>2)</sup> Sat. VI, 166.

<sup>3)</sup> Digna sunt quae legantur Cic. ad Att. Ep. V, 1.

<sup>4)</sup> Liv. XXXIV, 1—8.



Vestes pretiosas, aurum, gemmas, pedisequos, ancillas, supellectilem variam, lecticas et esseda deaurata iam Plautus in ea refert, quorum mulieres erant cupidae. 1)

Erant haec quidem initia et tamquam omina commutationis, quam subiit feminarum vita devictis regionibus iis, quae tum civitatem nondum divitiis suis omnique deliciarum genere obruerant. Luxus muliebris seculo primo ante aeram nostram auctis Romanorum opibus sic increvit, ut matrimonia propter ingentes sumptus, quos requirebant, in dies rariora essent. Cui malo frustra resistere conatus est Augustus legibus Iulia et Papia Poppaea.

Denique coelibes nullis non honoribus ab hereditatis afficiebantur. „In hac urbe” ait Petronius 2) „nemo liberos tollit, quia quisquis suos heredes habet, nec ad scenas nec ad spectacula admittitur, sed omnibus prohibetur commodis, inter ignominiosos latitat. Qui vero nec uxores unquam duxerunt, nec proximas necessitudines habent, ad summos honores perveniunt.” Tempora hac in re commutationem non attulerunt, nam a. 353. p. C. Ammianus Marcellinus 3) testatur: „vile esse, quidquid extra urbis pomerium nascitur, existimant praeter orbos et coelibes: nec credi potest, qua obsequiorum diversitate colantur homines sine liberis Romae.”

Mores etiam feminarum pessimi evaserunt eo

---

1) Aul. III, 8, 25 sqq. et alibi. 2) Satyr. CXVI. 3) XIV, 6.

tempore. Seneca<sup>1)</sup> dicit tempus belli Punici primi seculum fuisse, quo impudicitia monstrum esset, non vitium; Plautus iam multus est in mulierum vitiis enumerandis; quales autem fuerint sub finem liberae reipublicae apparet e ratione, qua nonnullae describuntur. Sempronia D. Bruti uxor socia dicitur Catilinae, Fulvia nihil mulicbre praeter corpus gerens, Clodia uxor Q. Metelli Celeris procax meretrix; et nulla adultera non eadem venefica habebatur.<sup>2)</sup> Taceo de viris; nulla tam perditum pudoris adultera, quae non hanc causam vitiis suis praetendebat, iniuriam se peccando non facere sed referre. Eo iam pervenerat morum perversitas, ut maritus haud semel ex uxoris adulterio quaestum faceret;<sup>3)</sup> eo pervenerat impudentia, ut regnante Tiberio gravibus senatus decretis libido feminarum coercita sit cautumque, ne quaestum corpore faceret, cui avus aut pater aut maritus eques Romanus fuisset.<sup>4)</sup> Nam Vistilia praetoria familia licentiam stupri apud aediles vulgaverat more inter veteres recepto, qui satis poenarum adversus impudicas in ipsa professione flagitii credebant. Antiquioribus temporibus divortia ita erant rara, ut non nisi cogente necessitate fierent; postea vero nihil iis frequentius. „Numquid” ait Seneca<sup>5)</sup> „iam ulla

<sup>1)</sup> Fragm. XIII, 70. <sup>2)</sup> Quint. V, 11, 39.

<sup>3)</sup> Hor. Carm. III, 6, 29. — Dig. XLVIII. 5, 8; 29 § 3 et 4.

<sup>4)</sup> Ann. II, 85. <sup>5)</sup> de Benef. III, 16.



primit, iam coquum intelligit, iam conchylium poscit. Ante palatum eorum quam mores instituimus.<sup>1)</sup> In lecticis crescunt; si terram attigerint, e manibus utrimque sustentium pendent. Gaudemus, si quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu et osculo excipimus. Nec mirum; nos docuimus, ex nobis audiunt. Nostras amicas, nostros concubinos vident; omne convivium obscenis canticis strepit; pudenda dictu spectantur. Fit ex hisce consuetudo, deinde natura. Discunt haec miseri, ante quam sciant vitia esse: inde soluti ac fluentes non accipiunt ex scholis mala ista, sed in scholas afferunt.”

His de conditione matrisfamilias disputatis, reliquum est, ut dicamus de potestate, quae patri concessa erat in liberos. Erat ea fere nullis circumscripta limitibus et sero demum, quum multa iam antiqua instituta interierant, sensim imminuta est. „Ο τῶν Ῥωμαίων νομοθέτης,” ut Dionysii<sup>2)</sup> verbis utar, „ἅπασαν, ὡς εἰπεῖν, ἔδωκεν ἐξουσίαν πατρὶ καθ' υἱοῦ, καὶ παρὰ πάντα τὸν τοῦ βίου χρόνον, εἴαν τε εἴργειν, εἴαν τε μαστιγοῦν, εἴαν τε δέσμιον ἐπὶ τῶν κατ' ἀγρὸν ἔργων κατέχειν, εἴαν τε ἀποκτινύναι προαιρήται. Nec aetas nec dignitas potestatem in filium patris imminuebant.

<sup>1)</sup> Sic edidit E. Bonnell (Edit. Teubn. 1861.) *Coquum* pro *coccum* legendum esse iam vidit G. L. Spalding (in ann. ad h. l.); *mores* pro *os* dedit Bonnell auctoritate cod. Bamb. sec. m.

<sup>2)</sup> II, 26.

Praeterea ei licebat filium vendere et quidem ter, ut apparet e verbis XII Tab, quae Gaius <sup>1)</sup> affert: „si pater filium ter venunduit, filius a patre liber esto.” Quando vero pater filio permiserat uxorem ducere, iure illo non amplius utebatur e lege, quae tribuitur Numae Pompilio. <sup>2)</sup> Exempla sane desunt patrum, qui liberos suos vendiderunt; rem tamen non fuisse prorsus inauditam ex hoc probatur, quod Diocletianus liberos ullo titulo alienari vetuit. <sup>3)</sup> Deinde Constantinus parentibus cum extrema inopia conflictantibus liberos sanguinolentos tantum vendere permisit, ea tamen lege, ut liceret et patri vendenti et filio vendito aut cuiquam alii pretio aut mancipio reddito ad ingenuitatem provocare. <sup>4)</sup> Ne vero ea venditione opus esset, paullo post idem Imperator sanxit, ut inopes parentes alimenta e publico acciperent. Iuris illius memoria quoque servata est in ritibus emancipationis filiorum. Dionysio iudice, hoc nomine patri in filium maior potestas concessa erat quam domino in mancipium, nam dicit *θεραπόντων ὁ πραθεὶς ἅπαξ, ἔπειτα τὴν ἐλευθερίαν εὐρομενος, αὐτοῦ τὸ λοιπὸν κύριός ἐστιν· υἱῶν δ' ὁ πραθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς, εἰ γένοιτο ἐλεύθερος, ὑπὸ τῷ πατρὶ πάλιν ἐγίνετο· καὶ τὸ δεύτερον ἀπεμποληθεὶς τε καὶ ἐλευθερωθεὶς, δούλος, ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς, τοῦ πατρὸς ἦν.*

<sup>1)</sup> I, 132. <sup>2)</sup> Plut. Numa 17.

<sup>3)</sup> Cod. IV, 43, 1. <sup>4)</sup> Ib. 2.

μετὰ δὲ τὴν τρίτην πράσιν ἀπῆλλακτο τοῦ πατρός.<sup>1)</sup> Quod ad posteriora tempora attinet, iura filii, quem pater mancipio dederat, erant in suspenso; non possidebatur,<sup>2)</sup> nec matrimonium, quod inierat, ab eo, cui erat in mancipio, dissolvi poterat, nec liberi inde procreati patris conditione utebantur;<sup>3)</sup> denique iniuriarum actione tenebantur, qui contumeliose aliquid fecerant adversus eum, quem in mancipio habebant.<sup>4)</sup> Quia autem servi loco erat, vindicta, censu, testamento manu missus sui iuris fiebat, sed nec lex Aelia Sentia nec Furia Caninia tunc locum habebant.<sup>5)</sup>

1) II, 27. 2) Gai. II, 90. 3) Ib. I, 135. 4) Ib. I, 141.

5) Ib. I, 138, 139. — Hinc improbanda sunt, quae disputat Fustel de Coulanges (La cité antique — Etude sur le culte, le droit, les institutions de la Grèce et de Rome — Paris, 1864): «Il paraît certain, que le fils ainsi vendu ne devenait pas l'esclave de l'acheteur. Ce n'était pas sa liberté, qu'on vendait, mais seulement son travail. Même dans cet état le fils restait encore soumis à la puissance paternelle, ce qui prouve, qu'il n'était pas considéré comme sorti de la famille. On peut croire, que cette vente n'avait d'autre effet que d'aliéner pour un temps la possession du fils par une sorte de contrat de louage. Plus tard elle ne fut usitée que comme un moyen détourné d'arriver à l'emancipation du fils.» Quod ex hoc quoque apparet, quod Cicero (pro Caec. XXXIV, 98) a suo patre venditum eodem loco habet, quo eum, quem populus vendidit (cf. de Or. I, 40, 181). Dicit quidem Gaius (I, 141) «ac ne diu quidem in eo iure detinentur homines, sed plerumque hoc fit dicis gratia uno momento;» addit vero haec: «nisi scilicet ex noxali causa manciparentur.»

Quod de liberis vendendis dictum est, dici non potest de iis interficiendis. Hoc priscis in primis temporibus saepe factum esse Dionysius <sup>1)</sup> affirmat: *ἔω λέγειν ὅσους ἀπέκτειναν οἱ πατέρες ἄνδρας ἀγαθούς ὑπὲρ ἀρετῆς καὶ προθυμίας ἕτερόν τι διαπράξασθαι γενναῖον ἔργον προαχθέντας, ὃ μὴ προσέταξαν αὐτοῖς οἱ πατέρες.* — Varia huius poenae exempla affert Valerius Maximus. „Cassius” <sup>2)</sup> ait „filium adhibito propinquorum et amicorum consilio affectati regni domi damnavit verberibusque affectum necari iussit.” Filius T. Manlii Torquati a Macedonibus repetundarum accusatus erat. Pater ipse iudicis munere fungebatur senatu accusatoribusque consentientibus, filiumque testibus auditis e conspectu suo abire iussit, quo filius ita est commotus, ut se ipse interficeret. <sup>3)</sup> L. Gellius de filio suo iudicium habuit, universo paene senatu adhibito in consilium, quem post diligentissimam inquisitionem absolvit tum concilii tum etiam sententia sua. <sup>4)</sup> Apparet e locis allatis, consilium necessariorum aliorumve adhibendum fuisse in iudicio domestico. Nota est historia filiorum Bruti et filii T. Manlii Imperiosi, qui propter dignitatem non tenebantur lege de consilio familiae abhibendo. E posterioribus temporibus exemplum praebet Sallustius: <sup>5)</sup> „Fuere extra con-

<sup>1)</sup> II, 26. <sup>2)</sup> Val. Max. V, 8, 2.

<sup>3)</sup> Val. Max. V, 8, 3.

<sup>4)</sup> Val. Max. V, 9, 1. <sup>5)</sup> Cat. 39.

iurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt; in his A. Fulvius, senatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari iussit." Hic enim dixit, non se Catilinae illum adversus patriam, sed patriae adversus Catilinam genuisse." <sup>1)</sup> Neque in filios tantum severos fuisse patres verum etiam in filias apparet ex eo, quod P. Atilius Philiscus filiam suam, quod se stupri crimine coinquinaverat, interemit. <sup>2)</sup> Pontius Aufidianus quoque eques Romanus, similem ob causam filiam suam necavit, qui ne turpes eius nuptias celebraret, acerbas exequias duxit. <sup>3)</sup> Non impune tamen patres iure suo abutebantur; hinc Seneca: <sup>4)</sup> „Quod officium est bonorum parentum? obiurgare liberos nonnunquam blande nonnunquam minaciter solent, aliquando admonere etiam verberibus. Numquid aliquis sanus filium ad primam offensam exhereditat? nisi magnae et multae iniuriae patientiam evicerint, nisi plus est, quod timet quam quod damnat, non accedit ad decretorium stilum. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem et peiore loco iam positam, revocet: simul deplorata est, ultima experitur. Nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit." Qui iniuste

<sup>1)</sup> Val. Max. V, 8, 5. <sup>2)</sup> Val. Max. VI, 1, 6.

<sup>3)</sup> Dio Cass. XXXVII, 36. Aulum Fulvium Senatorem ipse pater necavit, nec tamen (ut quibusdam videtur) sine exemplo, quum privatus esset, hoc fecit. Nam et alii multi, non tantum consules, verum etiam privati homines, suos filios interemerunt.

<sup>4)</sup> De Clem. I. 14.



in filios animadverterant, in odium vulgi incurrebant. Sic Erixonem, equitem Romanum, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit, quem Augusti Caesaris auctoritas vix infestis tam patrum quam filiorum manibus eripuit.<sup>1)</sup> Quin in iudicium patres vocari poterant. Q. Fabius Maximus<sup>2)</sup>, qui a duobus servis filium suum adolescentem interficiendum curaverat, quos servos in pretium sceleris manumiserat, die dicta Cn. Pompeio accusante damnatus est. Interdum patres iure suo utebantur sic, ut filios iudicio suo gravioribus poenis liberarent. Seneca l. l. affert exemplum patris, qui filium propter parricidium exilio puniebat. Praecedebat iudicium familiarium, cui etiam imperator aderat.

Nihilo tamen minus illis etiam temporibus plenum ius patris agnitum esse, apparet e formula, quam memorat Gellius: <sup>3)</sup> „Velitis iubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam iure legeque filius siet, quam si ex eo patre matreque familias eius natus esset, utique ei vitae necisque in eum potestas siet, uti patri endo filio est. Haec, ita ut dixi, vos Quirites rogo.”

Sub Imperatoribus<sup>4)</sup> patria potestas sensim pau-

<sup>1)</sup> Sen. l. l. <sup>2)</sup> Oros. V, 16. <sup>3)</sup> V, 19.

<sup>4)</sup> Quibus iam praeiverant philosophi Stoici, ut ex his apparet: Pater quidam filio interdixerat studio philosophiae. Hic quum a Musonio peteret, quid esset agendum, ille respondit: „Sive pater, sive magistratus sive dominus mala, iniusta, turpia imperat, qui iis non obsequitur, non inobediens est, neque quid-

latimque imminuta est. Traianus filium male contra pietatem a parente adfectum emancipavit, neque, eo vita defuncto, patri bonorum possessionem concessit.<sup>1)</sup> Cuius exemplum secutus Hadrianus patrem, qui filium ob adulterii suspicionem in venatione occiderat, in insulam deportari iussit, quod latronis magis quam patris iure eum interfecerit, parum memor patriam potestatem in pietate non in atrocitate consistere debere.<sup>2)</sup> Hinc ab Alexandri Severi temporibus sensim mos invaluit filios gravius delinquentes offerendi magistratibus, quibus tamen ipsi parentes praescribebant sententiam in filiis exsequendam.<sup>3)</sup> Paulus eorum temporum Iurisconsultus „non licet” inquit „occidere liberos, sed licebat.”<sup>4)</sup> Denique ne id quidem relictum parentibus, ut filios immorigeros abdicarent.<sup>5)</sup> — Totum ius vitae et necis a Constantino Magno demum sanctione poenali sublatum est<sup>6)</sup> translatumque in magistratus per constitutionem Valentiniani.<sup>7)</sup>

---

quam iniuste aut perperam facit. Pater tuus tibi philosophia interdixit; at Iupiter te philosophari iubet. Ergo, quum patri obtemperando hominem sis secuturus, philosophando autem Iovem, tibi praestat philosophari quam abstinere a philosophia. Quamvis te pater tuus carcere inclusum vinculis oneret, animus liber manebit, animo autem philosophamur (Stob. Scrm. 77). Cf. Nieuwland l. l. p. 46.

<sup>1)</sup> Dig. XXXVII, 12, 5. <sup>2)</sup> Dig. XLVIII, 9, 5.

<sup>3)</sup> Dig. XLIX, 16, 13, § 6. Cod. VIII, 47, 3. Dig. XLVIII, 8, 2.

<sup>4)</sup> Dig. XXVIII, 2, 11. <sup>5)</sup> Cod. VIII, 47, 6.

<sup>6)</sup> Cod. IX, 17. <sup>7)</sup> Cod. IX, 15.

Apud Romanos filii, patribus adhuc viventibus, nihil ipsi possidebant. Nam quicumque alieni erant iuris, hi non sibi acquirebant, sed iis, quorum in potestate erant.<sup>1)</sup> Liberi ergo servorum instar non sibi acquirebant sed patri, qui liberam habebat rerum omnium, quas liberi quocumque titulo acquisiverant, dispositionem.<sup>2)</sup> Postea tamen filiis concessum tamquam peculium, quidquid militiae labore acquisiverant. Quod institutum esse videtur sub primis Imperatoribus. Iuvenalis tempore rem omnino notam fuisse, testantur haec:<sup>3)</sup>

nam, quae sunt parta labore  
Militiae, placuit non esse in corpore census,  
Omne tenet cuius regimen pater.

Additum deinde peculium quasi castrense permissumque liberis, quidquid artibus liberalibus acquisiverant, sibi habere: quod, licet ante Constantinum Magnum non ignotum ab huius tamen Imperatoris aetate invaluisse videtur.<sup>4)</sup> Hadrianus et Antoninus Pius ius in bona materna iam circum-

<sup>1)</sup> Dion. Hal. VIII, 79.

<sup>2)</sup> Suet. Tib. c. 15. — Nec quicumque postea pro patre familias egit, aut ius, quod (adoptione) amiserat, ex ulla parte retinuit. Nam neque donavit neque manumisit: ne hereditatem quidem aut legata percepit ulla aliter, quam ut peculio referret accepta.

<sup>3)</sup> Sat. XVI, 52.

<sup>4)</sup> Cf. Walter, Ges. des Röm. Rechts, dritte Aufl. 2, p. 150.

scripserant. Constantinus Magnus bonorum maternorum usumfructum tantum patribus concessit.<sup>1)</sup> Bona materni generis ad liberos pertinere statuerunt Gratianus, Valentinianus et Theodosius.<sup>2)</sup> Hoc porro ad lucra nuptialia et sponsalitia porrectum est a Theodosio et Valentiniano, itemque a Leone et Anthemio.<sup>3)</sup> Denique Iustinianus haec generatim ad omnia bona liberorum adventitia produxit, quorum dominium penes liberos, usumfructum penes parentes esse iussit.<sup>4)</sup>

Manebat filius in patria potestate ad patris mortem, nisi capitis deminutio intercederet. Si filius fiebat Flamen Dialis, patria potestas tollebatur.<sup>5)</sup> Eadem potestate libera erat filia, si in manum mariti convenerat, vel si virgo Vestalis fiebat.<sup>6)</sup> Alii honores hanc vim non habebant. Narrat enim Valerius Maximus:<sup>7)</sup> „Apud Gaium quoque Flaminium auctoritas patria aequae potens fuit. Nam quum tribunus plebis legem de Gallico agro viritim dividendo invito et repugnante senatu promulgasset, precibus minisque eius acerrime resistens ac, ne exercitu quidem adversus se conscripto, si in eadem sententia perseveraret, absterritus, post-

1) Cod. VI, 60, 1. 2) Cod. VI, 60, 3.

3) Cod. VI, 61, 1, 4 et 5. 4) Cod. VI, 61, 6.

5) Gaius III, 114.

6) Gell. I, 12. Eo statim tempore sine emancipatione ac sine capitis minutione e patris potestate exit. Gaius I, 130. Ulp. X, 5.

7) V, 4, 5.

quam pro rostris ei legem iam referenti pater manum iniicit, privato fractus imperio descendit e rostris, ne minimo quidem murmure destitutae contionis reprehensus." Iustinianus postea et Patriciatus dignitatem immunem esse iussit a patrio imperio.<sup>1)</sup>

Qui filium suum alii adoptandum dabat vel emancipabat, patriam amittebat potestatem. Quae res, teste Gaio,<sup>2)</sup> sic agebatur: „mancipat pater filium alicui; is eum vindicta manumittit; eo facto revertitur in potestatem patris; is eum iterum mancipat vel eidem vel alii (sed in usu est eidem mancipari) isque eum postea similiter vindicta manumittit, quo facto rursus in potestatem patris sui revertitur; tunc tertio pater eum mancipat vel eidem vel alii (sed hoc in usu est, ut eidem mancipetur) eaque mancipatione desinit in potestate patris esse, etiamsi nondum manumissus sit, sed adhuc in causa mancipii." Quae deinde peragenda erant cognoscuntur ex his:<sup>3)</sup> „quum tertio mancipatus fuerit filius a patre fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, ut ei a fiduciario patre remancipetur, et a naturali patre manumittatur, ut si filius ille mortuus fuerit, ei in hereditate naturalis pater non fiduciarius succedat. Feminae vel nepotes masculi ex filio una mancipatione de patris vel avi exeunt potestate et sui iuris efficiuntur."

Cum patria potestate non confundendum est ius

---

<sup>1)</sup> Cod. XII, 3, 5. <sup>2)</sup> I, 132. <sup>3)</sup> Gaius Epit. 1, § 3.

liberorum recens natorum interficiendorum. Quod Romae iam ab initio certis finibus postea tamen certioribus circumscriptum est: sed hac de re dicemus in loco de liberis exponendis.

Patriam potestatem tantam fuisse in liberos, ut matri non multum relinqueretur, ultro apparet. Patria potestas legibus imminuta est; matris vero auctoritas iisdem imminui non potuit, nam multo firmiore nitebatur fundamento, nempe naturali amoris vinculo, quod vel corruptissima tempora non prorsus solvere potuerunt. Patria potestas erat maior quam quae ad liberos bene educandos requireretur. Naturae non erat congrua, cohaerebat enim cum duro illo Romanorum ingenio, quo incitati ad totius orbis terrarum dominium tetenderunt.

Ne uxor quidem, licet honorata, satis tuta erat a mariti iniuriis. Qua de re queruntur iam Plauti tempore mulieres: <sup>1)</sup>

Ecce lege dura vivunt mulieres  
 Multoque iniquiore miserae quam viri.  
 Nam vir si scortum duxit clam uxorem suam,  
 Id si rescivit uxor, impunest viro:  
 Uxor virum si clam domo egressast foras,  
 Viro fit causa, exigitur matrumonio.

Idem testatur Cato: <sup>2)</sup> „in adulterio uxorem tuam siprehendisses, sine iudicio impune necares: illa

---

<sup>1)</sup> Mercat. IV, 6, 1—6. <sup>2)</sup> Gellius X, 23.

te, si adulterares sive tu adulterarere, digito non auderet contingere, neque ius est." Quod progredientibus temporibus non valde mutatum est. „Quis enim," inquit Augustinus, <sup>1)</sup> „aliquando ad iudicem ductus est, quia meretricis lupanar intravit? — Quis aliquando habens uxorem, quia ancillam suam vitiavit, crimen invenit?" Idemque <sup>2)</sup> alio loco. „Dicis": inquit, „ancilla mea concubina mea est: num quid ad alienam uxorem vado? An non licet mihi in domo mea facere, quod volo?" Quamvis autem antiquorum populorum opiniones exigendae non sint ad ea, quae recentioribus placere, negari tamen non potest, familiam Romanam haud firmis superstructam esse fundamentis. <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Apost. Serm. 153, 6. Vol. V, p. 1053 ed. Bened. Par. 1837.

<sup>2)</sup> Idem Serm. 224, 3. vol. V, p. 1411.

<sup>3)</sup> „Mariti uxorum domini magis quam amici esse solebant. Inter coniuges deerant plerumque et caritas et mutua fiducia. Rebus ita comparatis sua maritos ad id libido ferebat, ut uxores tanquam molestas desererent, meretrices contra appetere. Mulieres autem nulla nisi maritorum potestate fere continebantur. Aberat religionis vinculum, aberat etiam haec animi generositas quae ex libertate nascitur. Imminuta virorum potestate, quod quidem non poterat non fieri ocius seriusve, nihil supererat quod eas a malo deterreret. Hinc illa vitae licentia cui iam tempore Plauti viri indulgebant; hinc quoque ista flagitia in quae mulieres constat non multo post sese ingurgitavisse. Ipsa paterna potestas, quam sibi ita Romani gratulabantur, latius proferebatur quam ut utilis esset. Illa enim ficta magis quam vera veneratione a liberis colebatur; eorum affligebat animum, et cari-

tatem in parentes imminuebat; patres autem eo saepe adducebat ut duriores essent, nisi propter vitia essent remissiores. Minus igitur proderat ad mores emendandos." Sic concludit dissertationem suam: "qualis fuerit familia Romana tempore Plauti ex eius fabulis." L. Dubief (Molini ap. M. Place 1859), cuius iudicium etsi satis severum, mihi quidem iniquum non esse videtur, saltem quod ad tempora attinet corrupta, quum, antiquae religionis vinculis solutis, homines deorum metu non amplius continerentur, nec respublica, cui antea omnia inservierant, vitae domesticae severitatem tueretur.

---



## CAPUT I.

### EDUCATIONIS PRIMORDIA.

---

Romulus, ut in traditione est, parentibus necessitatem imposuit educandi omnem virilem prolem et e filiabus primas genitas vetuitque, ne ullum foetum triennio minorem necarent, nisi infans aliquis mutilus aut prodigiosus statim in ipso partu editus esset, quem tamen non interfecerunt nisi prius ostensum quinque vicinis proximis, si et ipsi id comprobarent.<sup>1)</sup> Memorabile infanticidii exemplum, quod factum est tempore belli Punici secundi, affert Livius:<sup>2)</sup> „mentes turbavit, Frusinone infantem natum esse quadrimo parem, nec magnitudine tam mirandum, quam quod is quoque, ut Sinuessae biennio ante, incertus mas an femina esset, natus

---

<sup>1)</sup> Dionys. II, 15. <sup>2)</sup> XXVII, 37.

erat. Id vero haruspices ex Etruria acciti foedum ac turpe prodigium dicere, extorrem agro Romano, procul terrae contactu, alto mergendum. Vivum in arcam condidere, provectumque in mare proiecerunt." E Ciceronis<sup>1)</sup> verbis „quum esset cito ablegatus tamquam ex XII tabulis insignis ad deformitatem puer," apparet, legem Romuli XII tabulis confirmatam esse, quae diu viguit. Octavianus enim ex nepte Iulia editum infantem agnoscere alicui vetuit;<sup>2)</sup> et Seneca<sup>3)</sup> „portentosos" ait, „foetus extinguimus, liberos quoque, si debiles monstrosique editi sunt, mergimus."

Mores dissoluti eo saepe valuerunt, ut parentes liberorum educandorum curam detrectarent. Iidem effecerunt, ut matrimonii fides non semel violaretur; hinc dissensio esse poterat inter parentes de patre infantis, cui educandi officium incumberet. Alia denique exponendi causa paupertas erat parentum, qui sperabant fore, ut hic illeve misericordia commotus, vel ipse liberis carens, expositos educaret. Quod interdum factum est. Sic M. Antonius Gniphorhetor, ingenuus, in Gallia natus sed expositus, a nutrito suo manumissus institutusque est.<sup>4)</sup> Homines nonnulli haud in re lauta versantes expositos suscipiebant, ut postea, parentibus inventis, praemia laboris acciperent. Pater,<sup>5)</sup> expositum qui agnove-

<sup>1)</sup> De Leg. III, 8, 19. <sup>2)</sup> Suet. Oct. 65. <sup>3)</sup> De Ira I, 15.

<sup>4)</sup> Suet. de ill. Gramm. 7. <sup>5)</sup> Seneca Controv. IV, 26.

rat, solutis alimentis eum recipere poterat. <sup>1)</sup> Erat Romae ante templum pietatis columna lactaria, ubi liberi expositi lacte aliisque nutrimentis ab iis alebantur, qui misericordia eorum commoti erant. Interdum liberi expositi, lucri faciendi causa, suscipiebantur, nam in servilem conditionem detrudebantur vel ad turpissimas libidines explendas adhibebantur, quin etiam, omnibus corporis partibus mutilati, ad spectu miserabili praetereuntium misericordiae commovendae inserviebant in commodum vilissimi generis hominum, qui iam illis temporibus huiusmodi artibus victum sibi quaerebant.

Foedissimos conventus inter libidinosos parentes liberosque suos expositos ad turpissima ministeria adhibitos corruptis temporibus inauditos non fuisse, docent verba Clementis Alexandrini: <sup>2)</sup> *παιδὶ πορνέυσαντι καὶ μαχλώσαις θυγατράσιν ἀγνοήσαντες πολλάκις μίγνυνται πατέρες οὐ μεμνημένοι τῶν ἐκτεθέντων παιδιῶν.*

Si cogitamus, pauperibus nondum ea fuisse adiumenta, quae nunc sunt, neque temporum sumus immemores, non mirum videtur multos liberos fuisse expositos praesertim Imperatorum aetate, quum non tanti fiebat liberos habere, quanti reipublicae temporibus.

Quos progressus in humanitate sub Imperatoribus Romani fecerint, effici potest e legibus, quae

<sup>1)</sup> Quint. VII, 1, 14. <sup>2)</sup> Paed. III. 3. p. 265 Pott.

parentum iura etiam hac in re circumscripserunt tandemque prorsus sustulerunt. Iuvenalis <sup>1)</sup> dicens: Quae steriles facit atque homines in ventre necandos Conducit.

iam foetum in utero hominem esse censuit. Quod longe maiore vi declarant patres Ecclesiae. „Homicidii festinatio est” ait Tertullianus <sup>2)</sup> „prohibere nasci: nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, et qui est futurus. Etiam fructus hominis iam in semine est.” Quamquam Paulus Ictus, tempore Alexandri Severi, idem pronuntiat: <sup>3)</sup> „Necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, sed et is, qui abiicit, et qui alimonia denegat, et is, qui publicis locis misericordiae causa exponit, quam ipse non habet.” <sup>4)</sup> Eo igitur tempore caedem committere putabatur, qui liberos suos exponeret vel interficiebat. Cui malo ut nova severitate occurreretur, lata est lex <sup>5)</sup> Imperatoribus Valentiniano, Valente, Gratiano, quae constituit: „si quis necandi infantis piaculum adgressus

<sup>1)</sup> Sat. VI, 596. <sup>2)</sup> Apol. 9. <sup>3)</sup> Dig. XXV, 3, 4.

<sup>4)</sup> Pariter Minucius Felix 30. Sunt, qui in ipsis visceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant et parricidium faciant, antequam pariant. Lactant. Div. inst. VI, 20. Ergone illud quidem concedi aliquis existimet, ut recens natos liceat oblidere, quae vel maxima est impietas. Ad vitam enim deus inspirat animas non ad mortem.

<sup>5)</sup> Cod. Th. IX, 14, 1.

adgressave sit, erit capitale istud malum." Quae lex sic affertur in Cod. Iust.:<sup>1)</sup> „Unusquisque sobolem suam nutriat. Quodsi exponendam putaverit, animadversioni, quae constituta est, subiacebit. Sed nec dominis vel patronis repetendi aditum relinquitur, si ab ipsis expositos quodammodo ad mortem voluntas misericordiae amica collegerit; nec enim suum quis dicere poterit, quem pereuntem contempsit." Ab eo inde tempore, quo poenae graviores constitutae sunt in eos, qui liberos exponerent, subsidia illa adesse coeperunt in alimentorum instituto, quod a Nervae aetate laete effloruit, de quo suo loco dicemus.

Quando pater infantem ad pedes suos positum suscipiebat, hoc indicio erat, eum educationis curas in se suscipere. „Natus" ait Varro „si erat vitalis ac sublatus ab obstetrice, statuebatur in terra, ut auspicaretur rectus esse."<sup>2)</sup>

Pontificibus persuasum erat, suos singulis actibus deos praesse. Hinc innumerabiles illi dii, qui ab ipso conceptu invocabantur.<sup>3)</sup> Memorantur Levana, quae levat infantes de terra, Vagitanus vel Vaticanus, penes quem sunt vocis humanae initia, Cunina, quae cunas administrat, Edusa vel Educa, Cuba et Potina, divi edendi et potandi et cubandi,

<sup>1)</sup> VIII, 52, 2.

<sup>2)</sup> Apud Non. XII, p. 361 ed. Gerlach et Roth.

<sup>3)</sup> Tertull. ad Nat. II, 11.

quibus pueri initiabantur, ubi primum a lacte et a cunis transibant, quae numina ministri superiorum deorum, ut Iunonis Lucinae, vel variae facultates huius deae fuisse videntur.<sup>1)</sup> Octo dies intercedentes inter diem natalem et eum, qui dies lustricus dicebatur, primordia audiebant. Lustrico autem infantes lustrabantur nomenque accipiebant, qui maribus nonus, octavus erat feminis. Per octo illos dies multa solemnia observabantur<sup>2)</sup> et Iunoni mensa proponebatur. Lustrationi praeeerat dea Nundina.<sup>3)</sup> Eodem die fiebat *ὄνομαθεσία*, quo tamen praenomen sic datum esse videtur, ut mutari posset ad sumptam togam virilem. Quo sensu explicanda videtur sententia, quae Q. Scacvolae tribuitur: „pueris non priusquam togam virilem sumerent — praenomina imponi, moris fuisse.”<sup>4)</sup> Pueros enim praenomina insignitos esse, qui ad illam aetatem nondum pervenerant, docet haec inscriptio in lapide sepulchrali: D. M. L. Baebio Callistiano q. vix. ann. II. mens. X. diebus XXV. Baebia Faustina alumno karissimo fecit.<sup>5)</sup> Huius generis permultae supersunt. Aliae vero probant, praenomen illa aetate defuisse, cuius

1) Macrob. Sat. I, 17, 4: Maro ostendit, quom de una Iunone diceret: *Quo numine laeso*, unius dei effectus varios pro variis censendos esse numinibus.

2) Macrob. Sat. I, 16, 36.

3) Tertull. de anima 39. 4) Auct. de nom. 3.

5) Inscr. Lat. select. vol. I ed. Orellius n. 2708.

locum tenet vox Pupus in hac inscriptione: Pup. Pontio T. f. Vol. Proculo an. XIII. <sup>1)</sup>)

In inscriptione Hispaniensi, quae exstat apud Hübner et Mommsen: <sup>2)</sup>) „Pup. Agrippae M. F.” significatur Agrippa Postumus, qui ante adoptionem M. Agrippa M. f. audiebat. Dies lustricus coniunctus erat cum multis caerimoniis, et primum quidem domi sacrificium fiebat laribus familiaribus, praesentibus propinquis atque amicis. Tum moris erat infantes circumferre in templa deorum et deorum. <sup>3)</sup>) Multa praeterea superstitiosa peragebantur, quo pertinet, quod memorat Persius: <sup>4)</sup>)

Ecce avia aut metuens divûm matertera cunis  
Exeruit puerum frontemque atque uda labella  
Infami digito et lustralibus ante salivis  
Expiat . . . .

Parentes, propinqui, servi eo die crepundia afferbant infanti, quod etiam fiebat quoque die natali, quem morem testatur Plautus: <sup>5)</sup>)

Non meministi me ad te afferre natali die  
Lunulam atque anellum aureolum in digitum?

<sup>1)</sup>) Inscr. Lat. vol. 3. ed. Hensen n. 6222<sup>a</sup>.

<sup>2)</sup>) Monatsb. der Berl. Acad. 1861. Jan. p. 69.

<sup>3)</sup>) Suet. Cal. 25: „Infantem autem Iuliam Drusillam appellatam per omnia templa circumferens Minervae gremio imposuit alendamque et instituendam commendavit.”

<sup>4)</sup>) II, 31 sqq. <sup>5)</sup>) Epid. V, 1, 33.

Plures huiusmodi res enumerantur ab eodem. 1)

Pa. Ensiculust aureolus primum literatus. Dae.  
Dicedum,

In eo ensiculo literarum quid sit? Pa. Mei nomen  
patris.

Post altrinsecus ancipes securiculast, item aurea.  
Literata: ibi matris nomen in securiculast. — —

Pa. Post silicula argenteola et duae conexae ma-  
niculae

Et sunculast. Gr. Quin dierecta i tu cum sucula et  
cum porculis.

Pa. Et bulla aureast, pater quam dedit mihi na-  
tali die.

Crepundia<sup>2)</sup> magno numero in infantium sepulcris inventa sunt. Vitruvius<sup>3)</sup> memorat nutricem Corinthiacam, quae collegerat in calathum ioculos infantis, ut sepulcrum mortui, cuius habuerat curam, iis ornaret. Quod etiam vulgo fiebat apud Romanos. Nihil frequentius imaginibus illis, osseis, eburneis, ligneis vel fictilibus, quas pupas dicunt. 4) Nonnul-

1) Rud. IV, 4, 112 sqq. et 125 sqq.

2) Raoul Rochette, 3<sup>me</sup> Mémoire sur les antiquités chrétiennes des Catacombes. Mém. de l'Acad. des Inscriptions XIII, 1838, p. 623—683 et 726.

3) IV, c. 1.

4) Raoul Rochette l. l. et tab. VIII in fine libri. Lactant. Div. inst. II, 4, 13. Pupas non a virginibus, quarum lusibus venia dari potest, sed a barbatis hominibus consecratas.



lae sic erant confectae, ut ope filorum moverentur. Pertinet huc locus Horatii: <sup>1)</sup>

alii servis miser atque  
Duceri ut nervis alienis mobile lignum.

Inventa sunt prope Nolam infantium ossa cum crepundiis, in quibus anser et simia fictiles. Parva vasa ossicula continentia, gemmae in usum infantium, tintinnabula aenea literaeque eburneae prodierunt e sepulcris prope Volaterras et in Campania. Prope Pisaurum inventa est parva arca continens imagunculos deorum cum instrumentis sacris, quae e plumbo confecta infantium delectationi inservierant. Huc quoque pertinent vascula fictilia, in quae strenae Calendis Ianuariis aliisque opportunitatibus infantibus datae colligebantur. Exstat tale vas, formam referens lucernae, quo continentur calculi, quibus concussis sonitus audiebatur, quale instrumentum a Quintiliano <sup>2)</sup> dicitur crepitaculum puerile. Parvae etiam inventae sunt larvae eburneae e pluribus partibus compositae, quarum nonnullae caput Medusae referunt.

Crepundia illa saepe e collo suspendebantur, ut e statuis puerorum Romanorum apparet, quae nobis supersunt. <sup>3)</sup>

---

<sup>1)</sup> Sat. II, 7, 82. <sup>2)</sup> IX, 4.

<sup>3)</sup> Cic. Brut. 91. Nunc, quoniam totum me, non naevo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni, videris velle cognoscere.

In his praecipuum locum tepet bulla aurea,<sup>1)</sup> constans duabus partibus concavis, conchae formam habentibus, quae vinculis in formam cordis aut circuli aut quadrati coniunctae praebia continebant ad fascinum, ut putabant, avertendum efficacia. Gerebatur a pueris usque ad sumptam togam virilem, a puellis saltem ad matrimonium sic, ut vinculo e collo suspensa in medium pectus dependeret.<sup>2)</sup> Quia autem in primis adhibita fuisse videtur ad mala averruncanda, in triumpho a viris<sup>3)</sup> quoque gerebatur. Bullam etiam post matrimonium a feminis gestam esse effici posset e tabula vitrea, Romae in sepulcro christiano inventa, in qua Adam et Eva, inter quos arbor vitae, conspiciuntur, Eva autem ornata est bulla.<sup>4)</sup> Eius originem frustra indagare conantur Plutarchus<sup>5)</sup> et Macrobius,<sup>6)</sup> qui dicit Tarquini Prisci opera bullam infantibus datam esse.<sup>7)</sup> Romanis communis erat cum Etruscis, a quibus eam videntur accepisse; dicitur enim a Iuvenale<sup>8)</sup> aurum Etruscum, invenitur etiam in eorum sepulcris.<sup>9)</sup> De hoc ornamento satis accurate statuere licet et e bullis, quae supersunt, et ex imaginibus puerorum bullatorum, quae in marmoribus

1) Isid. XIX, 31. 2) Prop. IV, 1, 131. 3) Plut. Rom. 25.

4) Buonarrotti, Vetri antichi Tav. 1, fig. 3, p. 10.

5) Quaest. Rom., 101. 6) Sat. I, 6.

7) Cf. Plin. H. N. XXVIII, 4, 7. 8) Sat. V, 164.

9) Teste Plinio (H. N. VIII, 48, 74.) etiam togae praetextae origo apud Etruscos inventa est.

et in nummis occurrunt.<sup>1)</sup> Bulla initio gesta esse videtur a liberis patriciorum et equitum, postea ab omnibus ingenuis. Aurea bulla semper mansit insigne liberorum praesertim nobilium atque divitum. Libertinorum liberis ex iustis nuptiis procreatis concedebatur quidem tempore belli Punici secundi toga praetexta, verum pro bulla loro.<sup>2)</sup> Quanti bulla a Romanis fieret, ex his apparet Ciceronis verbis<sup>3)</sup> „neque te tam commovebat, quod ille (pupillus Iunius) cum toga praetexta, quam quod sine bulla venerat. Vestitus enim neminem commovebat is, quem illi mos et ius ingenuitatis dabat. Quod ornamentum pueritiae pater dederat, indicium atque insigne fortunae, hoc ab isto praedone ereptum esse, graviter et acerbe homines ferebant.”

Primis temporibus a parentibus haud postulabatur, ut liberos sibi natos esse profiterentur. Namque M. Aurelius philosophus primus iussit apud praefectos aerarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri intra tricesimum diem nomine imposito. Per provincias tabulariorum publicorum usum instituit, apud quos idem de originibus fie-

1) Becker-Marq. Handb. der Röm. Alterthümer. V, 1, p. 84 et 85.

2) Macrob. I. I. Iuv. V, 163.

Quis enim tam nudus, ut illum

Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,

Vel nodus tantum et signum de paupere loro?

cf. Schol. ad hunc locum.

3) Verr. I, 58.

ret, quod Romae apud praefectos aerarii.<sup>1)</sup> Quae professio fiebat, ut adessent documenta, quibus de hominum statu eorumque aetate, si forte opus esset, decerneretur. Acta praeterea confecta esse videntur in usum parentum.<sup>2)</sup> Denique paterfamilias ipse de liberis sibi natis instrumentum conficiendum curare poterat, quod a testibus subscribebatur.<sup>3)</sup>

Inde a primo consulatu Caesar instituit primus omnium, ut tam senatus quam populi diurna acta conficerentur et publicarentur<sup>4)</sup> quibus actis postea inseri coepta sunt omnia ea, quae alicuius essent momenti ut natales, matrimonia, divortia, alia.<sup>5)</sup> Neminem vero coactum esse nomina liberorum re-

<sup>1)</sup> Capitolinus in M. Ant. Phil. 9.

<sup>2)</sup> Apuleius de mag. II. p. 92. (Bip.) Pater Pudentillae natam sibi filiam more ceterorum professus est: tabulae eius partim tabulario publico, partim domo asservantur.

<sup>3)</sup> Tertullianus adv. Marc. V. 1. Plane profiteri potest semet ipsum quivis. Verum professio eius alterius auctoritate conficitur: alius scribit, alius subscribit, alius obsignat, alius actis refert. — Quanti momenti multis in rebus haec documenta civibus saepenumero essent, ostendit Pardessus. — Sur les différents rapports sous lesquels l'âge était considéré dans la législation Romaine. Mémoires de l'acad. des Inscr. XIII, 1838, p. 266—344.

<sup>4)</sup> Suet. Caes. 20.

<sup>5)</sup> Bernhardt, Röm. Lit. Gesch. (vierte Bearb.) p. 76 sq. Suet. Calig. 8. Ego in actis Antii invenio editum. Cf. Reussen, de diurnis aliisque Romanorum actis. Gron. 1857.

cens natorum iis inserere, sed eorum tantum nomina in iis fuisse puto, quorum parentes et propinqui alicuius erant in civitate momenti. Constat enim, Imperatorum aetate numerum incolarum in urbe Roma tantum fuisse, ut ne decima quidem pars natorum in ea referri potuerit.<sup>1)</sup>

Apographis acta illa non tantum per Italiam verum etiam per provincias spargebantur et curatius per exercitus quoque legebantur.<sup>2)</sup> Quia autem acta conficiebantur ab actuariis constitutis, quibus hac in re praepositus erat is, cui mandata erat cura publicarum tabularum et aerarii, dubitari vix potest de eorum momento in controversiis de causis liberalibus.<sup>3)</sup>

Quae iam attulimus, minime cohaerent cum more illo, quem instituit Servius Tullius, ut pro quoque recens nato certi pretii nummus inferretur in aerarium Iunonis Lucinae, pro mortuo quoque in aerarium Veneris Libitinae, pro singulis iis, qui togam

<sup>1)</sup> Ad hunc morem pertinet locus Iuvenalis: IX, 84 sq.

Tollis enim et libris actorum spargere gaudes  
Argumenta viri.

<sup>2)</sup> Tac. Ann. XVI, 22.

<sup>3)</sup> Recte Hübnerus animadvertit, diversas res indicari in loco Capitolini, Gord. tres. 4. „Iam illud satis constat, quod filium Gordianum nomine Antonini et signo illustravit, cum apud praefectum aerarii more Romano professus filium actis eius nomen insereret;” scil. professionem apud aerarium et contestationem in actis publicis.

virilem sumerent, in aerarium Iuventutis, ἐξ ὧν ἡμελλε διαγνώσεσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ὅσοι τε οἱ σύμπαντες ἦσαν καὶ τίνες ἐξ αὐτῶν τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν εἶχον.<sup>1)</sup> Rem militarem in primis spectavit Servius Tullius; M. Aurelius liberales causas munire cupivit. Propositum igitur utriusque diversum erat, namque in illius instituto tabularum confectarum nulla fit mentio; nummi tantum pro antiquorum temporum simplicitate numerabantur. Si enim tabulae adfuissent, cur censor cives rogasset, an uxorem haberent?

Non magnam vim habuisse hoc institutum, inde quoque colligitur, quod semel tantum eius fit mentio posterioribus temporibus.<sup>2)</sup>

Prisco aevo sua quemque mater uberibus alebat<sup>3)</sup> gremioque et sinu educabat, quae consuetudo deinde, ut multae aliae, obsolevit. Quod quam aegre ferrent antiquae simplicitatis tenaces, probat Favorini philosophi sermo, quo, teste Gellio,<sup>4)</sup> nobilis feminae matri gravissimis verbis suasit, ut filia liberos ipsa suos, non nutricum sed suo lacte aleret. Nutrix, quae liberos lacte suo alebat, Graecis dicebatur *τίτθῃ*; quo officio si mater ipsa fungebatur, munus τοῦ τρέφειν relinquebatur nutrici, quae hanc ob

<sup>1)</sup> Dion. Hal. IV, 15.

<sup>2)</sup> Suet. Ner. 39. Pestilentia unius autumnii, quo triginta funerum milia in rationem Libitinae venerunt.

<sup>3)</sup> Dial. de Or. 28. Tac. Germ. 20. <sup>4)</sup> XII. 1.

curam *τροφός* apud Graecos audiebat. „Educit,” ait Varro, <sup>1)</sup> obstetrix, educat nutrix, instituit paedagogus, docet magister.” <sup>2)</sup> Nutricem, quae liberos lacte suo aleret, matrem etiam dictam esse docent Plauti verba: <sup>3)</sup>

„Ita forma simili pueri, uti mater sua  
Non internosse posset, quae mammam dabat,  
Neque adco mater ipsa, quae illos pepererat.

Primis temporibus nutrices vulgo erant feminae honestae, quae non tantum parvulos curabant, sed virgines etiam adultas in publicum comitabantur, pueris vero aderant ad illud tempus, quo tradebantur praeceptoribus. <sup>4)</sup> Imperatorum vero aetate natus infans delegabatur Graeculae alicui ancillae, cui peculiaris cella in domo assignata erat. <sup>5)</sup> Cohaerebat hoc cum studio linguae Graecae, quae tunc nobiliorum parvulis inculcari solebat.

Negligentia in iis eligendis hanc ob causam vituperanda erat, quod non tantum loqui docebant liberos curae suae commissos, verum etiam magnam

<sup>1)</sup> Non. p. 303. v. educere et educare.

<sup>2)</sup> De hoc loco acute disputat Krause l. l. p. 215, statuens, *educere* esse Graecum *τρέφειν*, *educare* autem *παιδεύειν*; hoc igitur dici de corporis animique cultu, illud tantum de cultu corporis. Quod si verum est, Varro educandi vocabulo arctiorem illum sensum loco nostro tribuit.

<sup>3)</sup> Men. prol. 19. <sup>4)</sup> Capit. in M. Anton. philos. 2.

<sup>5)</sup> Dial. de orat. 28.

habebant vim ad teneros animos formandos.<sup>1)</sup> Saepe ista, quam ad praebendum lac adhibebant, aut serva aut scrvilis erat, et vulgo externae atque barbarae nationis, licet improba, informis, impudica, temulenta esset; nam plerumque sine discrimine quaecumque eo tempore lactans adhiberi solebat.<sup>2)</sup> Quam arctum interdum fuerit vinculum inter nutricem atque pupillum, Neronis funus ostendit, cuius reliquias nutrices Ecloge et Alexandra una cum concubina Acte condiderunt.<sup>3)</sup> Fieri non poterat, quin nutrices honestae bene meritae de pupillis suis a matribus saepius neglectis postea laborum suorum perciperent fructus. Huius rei exemplum praebet Plinius Secundus, qui agellum nutrici suae donabat, ut gratum ei animum probaret, quod sine dubio alii quoque simili modo fecerint.

Non tantum mercede conductae, verum etiam propinquae matribus praesto erant in liberis educandis; „eligebatur enim maior aliqua natu propinqua,<sup>4)</sup> cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur.”<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Quint. I, 10, 32. Chrysippus etiam nutricum illi, quae adhibetur infantibus, allecationi suum quoddam carmen assignat. Cf. I, 1, 4 et I, 9, 2.

<sup>2)</sup> Gell. XII, 1. <sup>3)</sup> Suet. Ner. 50.

<sup>4)</sup> Dial. de Or. 28.

<sup>5)</sup> Quae deinde sequuntur: „ac non studia curasque sed re-



Sed haec valent praesertim de iis temporibus, quum suus cuique filius ex casta parente natus . . . . . gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis, <sup>1)</sup> quum uxor erat lanifica, pia, pudica, domiseda, ut est in inscriptionibus sepulchralibus). Qualem uxorem pulcherrime descripsit Columella <sup>2)</sup> de maiorum domestica vita disserens: „erat enim summa reverentia cum concordia et diligentia mixta, flagrabatque mulier pulcherrima diligentiae aemulatione, studens negotia viri cura sua maiora atque meliora reddere. Nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil, quod aut maritus aut femina proprium esse iuris sui diccret, sed in commune conspirabatur ab utroque.” Praeclara liberorum educandorum praecepta antiqui dederunt, quae utinam ne nostris temporibus saepius negligenterentur. Cato Maior τὸν τύπτοντα, aiebat, γαμετὴν ἢ παῖδα τοῖς ἀγιωτάτοις ἱεροῖς προσφέρειν τὰς χεῖρας. <sup>3)</sup> Idem praecepit: τὰ αἰσχρὰ τῶν ῥημάτων οὐχ ἤττον εὐλαβεῖσθαι τοῦ παιδὸς παρόντος ἢ τῶν ἱερῶν παρθένων; et

---

missiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac reverentia temperabat” ad ipsam matrem referenda esse videntur, propterea quod auctor haec addit: „sic Corneliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus.”

<sup>1)</sup> Dial. de Or. 28.

<sup>2)</sup> XII, pr. <sup>3)</sup> Plut. Cat. Mai 20.

Iuvenalis: <sup>1)</sup> „maxima” inquit „debetur puero reverentia.”

Magnam vim habebat mater ad patrium sermonem servandum. Nam locutio emendata et Latina, iudice Cicerone, non rationis aut scientiae sed quasi bonae consuetudinis erat. <sup>2)</sup> Hinc magni intererat, quos quisque audiret quotidie domi, quibuscum loqueretur a puero. <sup>3)</sup>

Matres interdum sermonis elegantia excelluisse liberisque suis eo nomine magnopere profuisse apud Ciceronem dicit Crassus, <sup>4)</sup> qui de socru haec praedicat: „equidem cum audio socrum meam Laeliam — facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes, ea tenent semper, quae prima didicerunt, — sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire. Sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur: ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores.” Ex Epistolis Corneliae, matris Gracchorum, apparebat, filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris. <sup>5)</sup> Cuius sermonis elegantiam et Laelia Caii filia, et Muciae ambae filiae eius et neptes Liciniae servaverant. Gracchi, Catuli, Laelii, Mucii, Curio domestica consuetudine incorruptam vereque Latinam

---

<sup>1)</sup> XIV, 46. <sup>2)</sup> Cic. Brut. c. 74.

<sup>3)</sup> Brut. c. 58. Bernhardt R. L. G. p. 56.

<sup>4)</sup> De Or. III, 12. <sup>5)</sup> Cic. Brut. 58.

locutionem acceperant. <sup>1)</sup> Nec patrio tantum sermone, verum etiam Graccis literis Gracchi a puero eruditi erant matris diligentia. <sup>2)</sup>

Sic igitur mater eam in liberis auctoritatem habebat, quae amore, utpote firmissimo fundamento, nitebatur. Arctissimam interdum fuisse necessitudinem inter matres et filios, ostendit suavissima narratio, quam affert Livius: <sup>3)</sup> etenim post pugnam ad lacum Trasimenum multae matres putabant, interiisse filios suos, qui tamen in vivis adhuc essent; „unam autem” ait Livius, „in ipsa porta sospiti filio repente oblatam in conspectu eius exspirasse ferunt: alteram, cui mors filii falso nunciata erat, moestam sedentem domi ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam.” Quadrant certe ea, quae nunc attulimus, in tempora optima liberae reipublicae, verum tamen praeclaras feminas nunquam defuisse historia docet.

Matri in liberis educandis aderat pater, qui qui-

<sup>1)</sup> Cic. Brut. 58, 72, alibi. Quint. I, 1, 6. Dial. de Orat. 28.

<sup>2)</sup> Cic. Brut. 27. Doctrinae copiam Romanis mulieribus haud defuisse scriptorum testimonia probant. Exemplum praebet Plutarchus, (Pomp. 55.) qui haec praedicat de Cornelia Metelli Scipionis filia, quae primum nupserat Crasso iuniori tum Pompeio Magno: Ἐνὴν δὲ τῆ κέρη πολλὰ φίλτρα δίχα τῶν ἀφ' ὄρας. Καὶ γὰρ περὶ γράμματα καλῶς ἔσκητο, καὶ περὶ λύραν καὶ γεωμετρίαν καὶ λόγων Φιλοσόφων εἰθίστο χρησίμως ἀκούειν· καὶ προσὴν τούτοις ἦθος ἀηδίας καὶ περιεργίας καθαρὸν. ἃ δὲ νέαις προστίβεται γυναιξὶ τὰ τοιαῦτα μαθήματα.

<sup>3)</sup> XXII, 7.

dem filiis in primis paulo maioribus natu prospiciebat. Patris summa erat laus optimum esse civem, matris esse optimam matronam. Educationem, quam vere Romanam esse dicas, descripsit Plinius <sup>1)</sup> his verbis „erat autem antiquitus institutum, ut a maioribus natu non auribus modo verum etiam oculis disceremus, quae facienda mox ipsi ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. Inde adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo, duces agere, dum sequuntur, assuescerent; inde honores petitori assistebant curiae foribus, et consilii spectatores antequam consortes erant. Suus cuique parens pro magistro, aut cui parens non erat, maximus quisque et vetustissimus pro parente.” Pater, hoc officio neglecto, non solum filio, verum etiam reipublicae iniuriam fecerat de sententia Ciceronis. <sup>2)</sup> Susceperat enim liberos non modo sibi voluptati, sed etiam, qui aliquando usui reipublicae esse possent. Eos instituere atque erudire ad maiorum mores atque civitatis disciplinam debebat. Haec igitur, maiorum dico instituta civitatisque disciplinam, non leges scriptae normam constituebant, ad quam educatio erat dirigenda, cuius praestantiam, quum non perspiceret Polybius, reprehendit liberiolem illam et patriarchalem educandi rationem. <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Epp. VIII; 14. <sup>2)</sup> Verr. III, 69.

<sup>3)</sup> Cic. de Rep. IV. 3. „Principio, disciplinam puerilem ingenuis,

Pater si filium comitari non poterat, propinquus vel amicus eo munere fungebatur. Sic, M. Coelium<sup>1)</sup> in aetatis flore nemo nisi cum patre aut cum Cicerone aut in M. Crassi castissima domo viderat, cum artibus honestissimis erudiretur." Quanta cura filias prosecuti sint ii, qui tantam habebant curam filiorum, ex eiusdem efficias verbis:<sup>2)</sup> "ego non dubito, quin ut mihi, cui filia maxime cordi est, res haec acerba videatur atque indigna, sic unicuique vestrum, qui simili sensu atque indulgentia filiarum commovemini. Quid enim natura nobis incundius, quid carius esse voluit? quid est dignius, in quo omnis diligentia nostra indulgentiaque consumatur?" Antiquioribus reipublicae temporibus virorum convivio interesse iis non licebat, ne mores corrumpere sermonibus ibi habitis.<sup>3)</sup>

Virtutes, quibus Romani suos imbuebant liberos, et corpus et animum spectabant. Bona valetudo masculumque robur in toto corporis habitu conspicua plurimi fiebant; hinc currendo, natando, exercitationibusque gymnasticis vires roborantibus primo opera

---

(de qua Graeci multum frustra laborarunt, et in qua una Polybius noster hospes nostrorum institutorum negligentiam accusat) nullam certam aut destinatum legibus aut publice expositam aut unam omnium esse voluerunt." — Tusc. Disp. I. 1. "Mores et instituta vitae resque domesticas ac familiares et melius et cautius Romani tuiti sunt quam Graeci."

<sup>1)</sup> Pro Coelio. 4. <sup>2)</sup> Verr. I, 44.

<sup>3)</sup> M. Terent. Varro Satur. Menipp. rel. (ed. Oehler) p. 90.

danda erat. Amovenda erant omnia, quae corpus molle et iners redderent. Cato Maior τῶν νέων ἔφη χαίρειν τοῖς ἐρυθριῶσι μᾶλλον ἢ τοῖς ὠχριῶσι. Varro <sup>1)</sup> „mihi puero” inquit „modica una fuit tunica et toga, sine fasciis calceamenta, equus sine ephippio, balneum non quotidianum, alveus rarus.” <sup>2)</sup> Puer igitur vere Romanus patiens pulveris atque solis <sup>3)</sup> in aprico versabatur campo, inter aequales militabat, Tiberim transnabat, livida gestabat armis brachia, disco iaculoque exercebatur. Horatii tempore huiusmodi exercitationum plerosque iam taedebat iuvenes, de quorum parentibus ille: <sup>4)</sup>

Non his iuventus orta parentibus  
Infecit aequor sanguine Punico,  
Pyrrhumque et ingentem cecidit  
Antiochum Hannibalemque dirum;

Sed rusticorum mascula militum  
Proles, Sabellis docta ligonibus  
Versare glebas et severae  
Matris ad arbitrium recisos

Portare fustes, sol ubi montium  
Mutaret umbras et iuga demeteret  
Bobus fatigatis amicum  
Tempus agens abeunte curru.

<sup>1)</sup> Non. p. 75 v. ephippium.

<sup>2)</sup> Gell. XIII. 24. Senec. Ep. XCIV, 27. Plut. Cat. Mai. 4.

<sup>3)</sup> Horat. Carm. I, 8. <sup>4)</sup> Carm. III, 6, 33 sqq.

Exercitationibus illis Romani non corporis pulchritudinem neque agilitatem quaerebant, quae apud Graecos in primis spectabantur, verum eo tendebant, ut iuvenes ad rem militarem quam maxime essent parati, ut corpus patiens esset frigoris atque caloris bellique laborum in quacunque orbis terrarum regione perferendorum.<sup>1)</sup> Sic non mirum, corpus eorum cam obtinuisse firmitatem, ut sine magno detrimento omnibus fere libidinibus indulgere possent atque e vita mollissima omnibusque voluptatibus plena ad severiorem transirent vitae rationem. Monitis his de corpore instituendo dicendum est de altera educationis parte, quae ad animum pertinet. Docebantur liberi primo legibus parere et deos colere. Modestia et pudor praecipuae habebantur virtutes, quae iuventutem ornarent. Ciceroni prima commendatio profecta videbatur a modestia cum pietate in parentes. Laudat idem adolescentem prudentissimum et in primis honestum; navum etiam, pudentem et probum. Praecipit haec de decoro in libris de Officiis:<sup>2)</sup> „status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum.”<sup>3)</sup>

1) Teste Plutarcho (in vita c. 20.) Cato maior οὐ μόνον ἀποντίζειν οὐδ' ὀπλομάχειν οὐδ' ἵππεύειν ἐδίδασκε τὸν υἱὸν, ἀλλὰ καὶ τῇ χειρὶ πύξι παύειν καὶ καῦμα καὶ ψῦχος ἀνέχεσθαι καὶ τὰ δινώδη καὶ τραχύνοντα τοῦ ποταμοῦ νηρόμενον ἀποβιάζεσθαι.

2) I. 35, 36.

3) Cic. I. I. „Cavendum autem est, ne aut tarditatibus uta-

Quid Romanis de otio Graeco videretur apparet e vv. Catonis Maioris, quae memorat Cicero: <sup>1)</sup> „clarrorum virorum atque magnorum non minus otii, quam negotii, rationem exstare oportere,” nam „otioso in otio,” ut Ennius ait, „animus nescit, quid velit.” <sup>2)</sup> Ergo hoc quoque adolescentulus a patre discebat: parcum esse sui temporis, nam civis Romanus non artibus sed vitae destinatus erat. <sup>3)</sup>

Pueri in patris exemplum intuebantur, cuius ex conspectu non facile removebantur. Idem Cato, qui grandibus literis in usum filii scripsit „Origines,” hunc artibus instituit, licet grammaticus peritus inter servos esset. Aderant etiam filii patri res sacras curanti, aderant ei cum clientibus disputanti, quo-

---

mur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quae cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna significatio fit non adesse constantiam.” Priscam simplicitatem spirant, quae dicit Varro (Sat. Men. rel. ed. Oehler p. 100.) „Avi et atavi nostri cum allium et caepe eorum verba olerent, tamen optime animati erant.”

<sup>1)</sup> Pro Plancio, 27, 66. <sup>2)</sup> Gell. XIX, 10, 12.

<sup>3)</sup> Virg. Aen. VI, 843.

Excudent alii spirantia mollius aera,  
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus,  
Orabunt causas melius, coelique meatus  
Describent radio et surgentia sidera dicent:  
Tu regere imperio populos, Romane, memento:  
Hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem,  
Parcere subiectis, et debellare superbos.



tidie in atrio maiorum imagines intuebantur, quas permagni faciebant Romani,<sup>1)</sup> audiebant tum sermones de proavorum virtutibus rebusque gestis, tum carmina antiqua, quibus olim, teste Catone, in epulis celebrari solebant clarorum virorum laudes.<sup>2)</sup> Quorum quam incunda Ciceroni notitia fuisset, ipse testatur: „utinam exstarent illa carmina, quae multis seculis ante suam aetatem in epulis esse cantata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato!“<sup>3)</sup> Vehementer etiam adolescentium animos ad virtutem accendebat vetus ille mos laudandi proavos prostris in illustrium cognatorum exsequiis.

Probe tenendum est ea, quae attulimus, valere de antiquioribus temporibus, quamquam numquam defuerunt parentes, qui avitarum virtutum memores liberos suos sic educarent, ut scriptoribus exempla viderentur imitatione dignissima. Valde enim erraret, qui universae educationis imaginem sibi effingeret ex iis, quae Cicero v. c. de praestanti aliquo sui temporis patre memorat. Omnia alia docet historia illius aetatis.

Antiquis temporibus patres filios suos praetextatos in curiam duxisse e M. Catonis oratione refert Gellius, quo tamen teste, senatores moti eo, quod Papirio Praetextato accidit, statuerunt, uti posthac

---

<sup>1)</sup> Sall. lug. 4. <sup>2)</sup> Varro apud Non. p. 54. v. „assa voce.“

<sup>3)</sup> Bernhardy, R. L. G. p. 41.

pueri cum patribus in curiam ne introirent, excepto uno Papirio.<sup>1)</sup> Liberi vescebantur in adpectu propinquorum propria et parciore mensa vel etiam parentibus ministrabant; quin patrem comitabantur invitatum, ut foris coenaret.<sup>2)</sup> Unum autem superest, quod mirum quantum videri possit pugnare cum nostra de bonis moribus sententia. Nam idem ille Cicero, qui multa praecepit de decoro, de virtute colenda, de omni denique officio, haec quoque dixit:<sup>3)</sup> „si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum inventuti putet, est ille quidem valde severus — negare non possum — sed abhorret non modo ab huius seculi licentia, verum etiam a maiorum consuetudine atque concessis. Quando enim hoc non factum est, quando reprehensum, quando non permissum? quando denique fuit, ut, quod licet, non liceret?” Faciles et tolerabiles haberi solebant, teste eodem, cupiditates adolescentiac, quas ipsa natura profundit, si modo ita erumpebant, ut nullius vitam labefactarent, nullius domum everterent.<sup>4)</sup> Hoc sensu loquitur Val. Max.<sup>5)</sup> de vulgari et permissa venere. Simili modo de adolescente haec dicuntur a Seneca:<sup>6)</sup> „nihil peccaverat: amat meretricem: solet fieri; adolescens est; exspecta, emendabitur, ducet uxorem.” Ex mutatis moribus an-

<sup>1)</sup> Gell. I, 23. <sup>2)</sup> Tac. Ann. XIII, 16.

<sup>3)</sup> Pro Coel. 20, 48. <sup>4)</sup> l. l. 12, 28. <sup>5)</sup> VII, 3, 10.

<sup>6)</sup> Contr. II, 12, 10.

tiquis talis licentia non orta est, nam antiquiore iam aetate multum hac in re adolescentiae indulgebant, qua venia utebantur etiam illi, qui postea honestissimi erant viri.

Explicanda haec indulgentia partim videtur e Romanorum de matrimonio notionibus; nec parvam habuerit vim aëris temperies vivendique ratio, quae etiam nunc in illis regionibus homines propensos reddit ad nullas non voluptates. Verum tamen non deerant, quorum opiniones magis accederent ad nostram de illa re sententiam. Quin Cicero, cuius modo attulimus iudicium, non poterat non probare Archytam dicentem: <sup>1)</sup> nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus a natura datam esse: — menti, divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum quam voluptatem. Multo magis a sui temporis opinionibus recedebat Musonius Rufus, cuius iam attulimus praeclaram de matrimonio sententiam, qui quidem praedicat voluptatibus non esse indulgendum nisi ad liberos procreandos.

Quandoquidem vero parentes vel propinqui et amici filiis non semper adesse poterant, fideles interdum libertos <sup>2)</sup> lateri eorum adiungebant, quos Seneca <sup>3)</sup> domesticos magistratus vocat, sub quorum custodia continerentur. E variis huiusmodi homi-

---

<sup>1)</sup> De Senect. 12, 39 et 40.

<sup>2)</sup> Quint. I, 2, 5.

<sup>3)</sup> De Benef. III, 11, 2.

num nominibus<sup>1)</sup> efficitur officiorum multitudo. Custodes et comites audiebant, quia ubique pupillos suos comitabantur, in primis vero, ubi in publicum prodibant, quia corruptis praesertim Imperatorum temporibus gravissima pericula pueris imminebant. Monitores dicebantur, quia haec fere monebant discipulos; „sic incede, sic coena, non irascendum est.”<sup>2)</sup> Dicuntur etiam pedisequi, quo nomine quoque indicantur illi, qui officiis fungebantur minoribus. Ultimis liberae reipublicae temporibus nomen paedagogi in usu esse coepit, quo proprie indicabantur illi, qui liberos bene Graece loqui docebant. Quo tempore igitur infans Graeculae an-

<sup>1)</sup> Horatii loci, qui vulgo afferuntur ad probandum, reges etiam dictos esse illos rectores, alio spectare videntur. Verbis, Carm. I, 36, 6:

Nulli plura tamen dividit oscula  
Quam dulci Lamiae, memor  
Actae non alio rege puertiae  
  
Mutataeque simul togae.

Orell. adscribit: „Lamia inter aequales pueros, cum una ludebant, primus fuerat et quasi *rex* eorum ludos moderatus erat, modo hunc, modo illum proponens, vel etiam magis proprie, solebat a ludentibus *rex* creari. Ep. 1, 1, 59: Pueri ludentes, Rex eris, aiunt. Iustin. 1, 5: Cyrus rex inter ludentes sorte electus.” Cf. etiam Dio Chr. de regno, 4. Hunc regem creantes pueri canebant, teste Porphyrione: „Rex erit, qui recte faciet, qui non faciet non erit.”

<sup>2)</sup> Seneca Epist. 94, 8.

cillae delegabatur, pueri accipiebant paedagogum Graecum.<sup>1)</sup>

Quibus nutricibus et paedagogis magnam partem notitia linguae Graecae tribuenda videtur, cuius Romani Sullae tempore iam adeo periti erant, ut senatores legatum Rhodium Molonem Graeca lingua verba facientem, nullo adhibito interprete, audirent.<sup>2)</sup> Imperatorum aetate paedagogi omnes dicebantur, quibus cura liberorum mandata erat. Comitabantur eos in scholam ipsique lectionibus adesse poterant. Sic Remmius Palaemon, teste Suetonio<sup>3)</sup>, herilem filium dum comitabatur in scholas, literas didicit. Erant cum iis in theatro, in quo Augustus praetextatis cuneum suum et proximum paedagogis assignaverat.<sup>4)</sup>

Romanos autem illos, qui lucro suo magis quam liberis bene educandis intenti erant, non optimo servo paedagogi munus mandavisse non est, quod miremur. De paedagogis hoc praecepit Quintilianus<sup>5)</sup>, ut aut essent eruditi plane, aut se non esse eruditos scirent, nam multi, qui paullum aliquid ultra primas literas progressi erant, falsam sibi scientiae persuasionem induebant, et sua potestate

---

<sup>1)</sup> Non video, quo iure Bernhardy, R. L. G. p. 48. tantum interesse dicat inter paedagogum Romanum et Graecum, illum optimum hunc pessimum fuisse dicens.

<sup>2)</sup> Val. Max. II, 2, 3. <sup>3)</sup> De ill. Gramm. c. 23.

<sup>4)</sup> Suet. in vita c. 44. <sup>5)</sup> I, 1, 8.

intumescentes, imperiosi atque interim saevientes, stultitiam suam perdocebant. Peius etiam de iis fert iudicium Auctor dial. de Orat.,<sup>1)</sup> qui eos fuisse tradit unum aut alterum ex omnibus servis plerumque vilissimum nec cui serio ministerio accommodatum. Malos revera datos esse pueris paedagogos docet Claudii<sup>2)</sup> exemplum, qui diu fuit sub paedagogo, quem barbarum et olim superiumentarium i. e. iumentariorum praefectum, ex industria sibi appositum, ut se quibuscunque de causis quam saevissime coërceret, ipse quodam libello conquestus est. Neroni<sup>3)</sup> iuveni duo dabantur paedagogi: saltator et tonsor. Tales certe paedagogi vehementissime pupillis suis nocebant.<sup>4)</sup> Non tamen deerant, qui summa cura pupillos suos tuerentur. Sic Appianus<sup>5)</sup> tradit, puerum ad ludum literarium euntem interfectum esse una cum paedagogo, qui puerum complexu protegens djvelli non potuisset. In horum fidem liberos suos commisisse parentes, apparet e voce illius, cui mortem minabantur hostes: „Gorgia, pediseque puerorum, absconde pueros: defende: fac, ut incolumes ad adolescentiam perducas.”<sup>6)</sup> Iis quoque gratum animum saepe probabant pupilli. Sphaerus v. c. Octaviani libertus

<sup>1)</sup> c. 29. <sup>2)</sup> Suet. in vita c. 2.

<sup>3)</sup> Suet. in vita c. 6. <sup>4)</sup> Quint. VI, 1, 41.

<sup>5)</sup> Bell. Civ. IV, 30.

<sup>6)</sup> Auctor ad Herenn. IV, 52.

munere paedagogi sic functus erat, ut publicis sumptibus eum sepeliendum curaret Imperator.<sup>1)</sup>

In maximis vitiis, quibus educatio apud Romanos laborabat, hoc erat, quod liberi, quum prisca simplicitas interierat, servis semper, parasitis, adulatoribus parentum circumdati erant. Ea semper ante oculos habebant, quae superbiam et vanitatem in ipsis excitare deberent. Domus nobiliorum servis abundabant: civis exigua mercede liberis educandis operam dare nolebat: servi ergo praeceptores fiebant. Sed quam reverentiam a pupillis illi poterant expectare, qui prorsus pendebant a parentibus non semper sapientibus?

Hinc non omnino ficta aut de Graecis dicta esse videntur, quae comoediae scriptores de puerorum arrogantia, de parentum levitate et de paedagogorum infirmitate docent. Lydus Pistocleri paedagogus<sup>2)</sup> est quidem Graecus, verum mutatis nominibus res dicta esse videtur de Romanis.<sup>3)</sup> Optime profecto illi prospiciebant et sibi et liberis, qui in familiam suam tamquam clientem aliquem philosophum, non circulatorem aut quaestuosum hominem, sed verae sapientiae doctorem reciperent, qui diligenter mores pupilli sub tutela sapientiae suae positi coleret et ad bonam frugem perduceret, qua de re Seneca<sup>4)</sup> sic

<sup>1)</sup> Dio Cass. XLVIII, 33. <sup>2)</sup> Bacch. I, 2, 31.

<sup>3)</sup> Pseudo-Plut. de Lib. educandis, initio.

<sup>4)</sup> Epist. 11, 8.

disputat: „Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus, et omnia tamquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus praecepit: custodem nobis et paedagogum dedit; nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsit. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non praesens tantum sed etiam cogitatus emendat!”

Servius<sup>1)</sup> autem e Cicerone affert: ad militiam euntibus dari solitos esse custodes, a quibus primo anno regerentur. Intelligendi sunt fortasse illi, qui iam ante legitimum tempus i. e. praetextati adhuc stipendia merebant vel, ut Plinius dicit, castrensi-bus stipendiis imbuebantur. Magistri puerorum, quos memorat Virgilius<sup>2)</sup> in ludo Troiae describendo, fortissimi ex ipsis fuerint.<sup>3)</sup>

Praeter paedagogos memorantur etiam capsarii<sup>4)</sup> sic dicti a capsula vel arca, qua continebantur omnes res, quibus discipulo in schola opus erat, quam capsam Horatius<sup>5)</sup> vocat loculos. Librarii dicebantur,<sup>6)</sup> qui calamarias et graphiarias thecas portabant.<sup>7)</sup>

1) Aen. V, 546. 2) Aen. V, 562 et 669.

3) Cf. ea, quae monuimus p. 53 nota 1 de regis nomine.

4) Suet. Ner. 36. 5) Sat. I, 6, 74. 6) Suet. Claud. 35.

7) Iuv. X, 117. Quem sequitur custos augustae vernula capsae.



## CAPUT II.

### DE INSTITUTIONE IN LUDIS LITERARIIS. <sup>1)</sup>

„Principio inquit Cicero, <sup>2)</sup> disciplinam puerilem ingenuis — nullam certam aut destinatam legibus, aut publice expositam, aut unam omnium esse voluerunt” (maiores). Cui loco opposita esse videntur, quae Censores edixerunt: <sup>3)</sup> „Maiores nostri, quae liberos suos discere et quos in ludos itare vellent, instituerunt.” Verum difficultas facile tollitur. Censores non leges cogitant, verum ea, quae consuetudine et more maiorum erant recepta, a quibus

---

<sup>1)</sup> Vox ludus a nonnullis ut ludio, histrio, ducitur e lingua Etrusca, ab aliis a ludendo, quia discere a Romanis non referebatur ad seria (reipublicae) negotia (σχολάζειν), unde vox σχολή proprie indicat, quod Romani dicunt otium. Graecis Romanorum ludus dicebatur διδασκαλείον.

<sup>2)</sup> De Rep. IV, 3. <sup>3)</sup> Suet. de clar. Rhet. 1.

putabant non esse recedendum.<sup>1)</sup> Leges de liberis instituendis et in scholas mittendis parum congruis-  
sent cum infinita illa patria potestate, quae vige-  
bat apud Romanos. Atqui ea qui male utebatur, rei-  
publicae nocebat, quam ab causam coërcendus vi-  
debatur. Erat haec Censurum provincia, nam οὔτε  
γάμον, οὔτε παιδοποιίαν τινός, οὔτε δίαιταν οὔτε  
συμπόσιον φροντο δεῖν ἄκριτον καὶ ἀνεξέταστον,  
ὡς ἕκαστος ἐπιθυμίας ἔχοι καὶ προαιρέσεως, ἀφεί-  
σθαι.<sup>2)</sup> Hinc non mirum, Imperatorum demum tem-  
pore scholas exstitisse publicas.

Rarae per quatuor priora secula in civitate Ro-  
mana literae erant.<sup>3)</sup> Poëticae artis honos non erat;  
si qui in ea re studebat, grassator vocabatur.<sup>4)</sup> Ad  
antiquissima earum monumenta, ad fastos et com-  
mentarios pontificum plebei saltem non admitteban-  
tur.<sup>5)</sup> Quam tenuis fuerit illis temporibus literarum  
cultus efficere licet e Catonis Maioris de Graecis  
iudicium: bonum esse eorum literas inspicere, non  
perdiscere; quae omnia, si invalescerent, facile cor-  
rumperent.<sup>6)</sup> In scholis igitur, si quae antiquissi-  
mis temporibus fuerint, non potuit non exigua esse  
docendi materies eaque legendi, scribendi et com-  
putandi finibus iis contenta, quos vita simplicissima  
ultra ponebat. Romulus et Remus scholam, quae

<sup>1)</sup> Krause l. l. p. 250. <sup>2)</sup> Plut. Cat. mai. 16.

<sup>3)</sup> Liv. VI, 1. <sup>4)</sup> Cato apud Gell. XI, 2.

<sup>5)</sup> Liv. IV, 3. <sup>6)</sup> Plin. Hist. Nat. XXIX, 7.

Gabiis erat, dicuntur adiisse; <sup>1)</sup> sed haec pertinent ad tempora mythica. In medium fere seculum quintum incidit historia Virginiae, quae in forum se contulit, quia ibi in tabernis literarum ludi erant. <sup>2)</sup> Aliquanto post, Camilli aetate, schola occurrit Faleriis, cuius incolis, ut Livius narrat, <sup>3)</sup> mos erat eodem magistro liberorum et comite uti, simulque plures pueros unius curae demandare. Principum liberos, qui scientia videbatur praecellere, erudiebat. Eodem fere tempore Tusculi quoque ludus aderat. <sup>4)</sup>

Videntur ergo non tantum Romae, sed in aliis etiam Italiae oppidis, iam mature ludi literarii adfuisse. Posteriore aetate occurrit schola Venusina, de qua Horatius <sup>5)</sup> refert :

Noluit in Flavi ludum me mittere, magni  
 Quo pueri, magnis e centurionibus orti,  
 Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto  
 Ibant octonis referentes Idibus aera.

Etiam Ovidius eiusque frater Sulmone, ubi scholam rusticam adierant, Romam deducti sunt, ut ad maiora instituerentur.

E loco Plutarchi : <sup>6)</sup> ὁψὲ δ' ἤρξαντο μισθοῦ διδάσκειν, καὶ πρῶτος ἀνέωξε γραμματοδιδασκαλεῖον Σπόριος Καρβίλιος, effecerunt nonnulli, hunc primum scholam aperuisse, in qua mercede docere-

<sup>1)</sup> Plut. Rom. 6. <sup>2)</sup> Liv. III, 44. <sup>3)</sup> Liv. V, 27.

<sup>4)</sup> Liv. VI, 25. <sup>5)</sup> Sat. I, 6, 72. <sup>6)</sup> Quaest. Rom. 59.

tur. Atqui haud verisimile est ad finem fere seculi secundi a. C. magistros gratis docuisse. Videtur ergo Plutarchus hac in re errare, nisi credimus locum esse intelligendum de superiore quadam schola, in qua Carvilius poëtas, veluti Livium Andronicum et Ennium, legerit cum discipulis; huiusmodi scholae enim eo ipso tempore efflorescere coeperunt.

Qui in ludis literariis docebant, dicebantur literatores (*γραμματισταί*), postea magistri literarii; sic enim distinguebantur a literatis (*γραμματικοί*), qui penitus norant antiquos scriptores. Huc pertinet locus Appuleii: <sup>1)</sup> „prima cratera literatoris ruditatem eximit, secunda grammatici doctrinam intimat, tertia rhetoris eloquentia armat.”

Nititur haec distinctio sententia Nepotis, quam affert Suetonius: <sup>2)</sup> „literatos quidem vulgo appellari eos, qui aliquid diligenter et acute scienterque possint aut dicere, aut scribere; ceterum proprie sic appellandos poëtarum interpretes, qui a Graecis *γραμματικοί* nominentur.” Tum sequuntur haec: „sunt, qui literatum a literatore distinguant, ut

<sup>1)</sup> Flor. 20.

<sup>2)</sup> Locum sic legit Bernhardy R. L. G. p. 46.; paullo aliter Wittich (de Gramm. et Grammatist. ap. Rom. scholis p. 4): „Prima cratera Literatoris, ruditatem eximit; secunda Grammatici, doctrina instruit; tertia Rhetoris, eloquentia armat.” Quae lectio propterea magis mihi placet, quod vox *eximit* suo loco relinquit melioremque praebet sensum.

<sup>3)</sup> De ill. Gramm. 4.

Graeci grammaticum a grammatista; et illum quidem absolute, hunc mediocriter doctum existiment." Pseudo-Asconius<sup>1)</sup> primas literas docentem vocat ludi magistrum.

Locus, ubi ille docebat, dicebatur pergula, quae fuisse videtur pars aliqua domus vel tabernae.<sup>2)</sup> Ut pergulae lenonum, sic quoque pergulae literatorum ita erant instructae, ut transeuntibus copia esset inspiciendi. Sic tamquam in via discebatur, ex qua consuetudine intelligitur vox: trivialis scientia.<sup>3)</sup> Teste Livio,<sup>4)</sup> literarum ludi in tabernis erant. Ergo pergulae tabernae quoque dictae esse videntur.<sup>5)</sup> Sententiam nostram de pergulis non quaerendis in superiore aedium parte confirmare videntur ea, quae leguntur apud Dionys. Hal.<sup>6)</sup> in historia Virginiae:

<sup>1)</sup> In Div. § 47.

<sup>2)</sup> Suet. de ill. Gramm. 18. — Vop. Saturn. 10. Convenit fere cum ea parte nostrorum aedificiorum, quae dicitur *gaanderij*, vel cum ea, in qua res vendendae exponuntur, quae nobis est *winkel*. Non recte Bernhardt, R. L. G. p. 45 vocem interpretatur: *eine Dachstube*. Cf. Becker-Marq. l. l. V, I, p. 93.

<sup>3)</sup> In Graecia quoque docebatur in via, ut apparet e loco Dionis Chrys. Or. 20: οἱ γὰρ τῶν γραμμάτων διδάσκαλοι μετὰ τῶν παιδῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς κάθηνται, καὶ οὐδὲν αὐτοῖς ἐμποδῶν ἔστιν ἐν τοσοῦτῳ πλῆθει τοῦ διδάσκειν τε καὶ μαθεῖν.

<sup>4)</sup> Liv. III, 44.

<sup>5)</sup> Rein (Gallus II, 73) verba refert ad locum, ubi pergulae erant, nempe ad locum in foro: *tabernae veteres et novae* dictum, quae explicatio mihi quaesita videtur.

<sup>6)</sup> Ant. Rom. XI, 28.

ταύτην τὴν κόραν ἐπίγαμον οὔσαν ἤδη θεασάμενος  
 "Αππίος. Κλαύδιος ἀναγινώσκουσαν ἐν γραμματι-  
 στοῦ. . . . πολλάκις ἀναγκαζόμενος παριέναι τὸ  
 διδασκαλεῖον ἤδη κρατούμενος ὑπὸ τοῦ πάθους."

Si enim tabernae in tectis fuissent, non facile Ap-  
 pius praeteriens virginem in pergula discentem vi-  
 dere potuisset.

Docebantur in ludis prima literarum elementa  
 vel rudimenta. <sup>1)</sup> Liberi septem annos nati eo venie-  
 bant, qui a magistris saepe blandimentis ad discen-  
 dum erant incitandi, ut ait Horatius: <sup>2)</sup>

ut pueris olim dant crustula blandi  
 Doctores, elementa velint ut discere prima.

Ars legendi, cuius haec mentio fit apud Plautum <sup>3)</sup>:

Cincticulo praecinctus in sella apud magistrum as-  
 sideres;

Ibi librom quom legeres, si unam peccavisses syl-  
 labam,

Fieret corium tam maculosum quamst nutricis pal-  
 lium.

sic tradebatur, ut primum literas, tum syllabas,  
 denique voces pronunciare discerent parvuli. Sibi

<sup>1)</sup> Seneca, Ep. 88, 20. Prima illa, ut antiqui vocabant, litera-  
 tura, per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales  
 artes, sed mox percipiendis locum parat.

<sup>2)</sup> Sat. I, 1, 25. <sup>3)</sup> Bacch. III. 3, 28.

non placere dicit Quintilianus,<sup>1)</sup> quod in plurimis fiebat, ut literarum nomina et contextum prius quam formas discipuli discerent, quia antecedentem memoriam secuti animum ad ipsos ductus non intenderent. Commendat autem usum dandi literas eburneas praemii loco, ut sic utile misceretur dulci. — Quod quam salutare sit ad iuveniles animos ad studia saepe arida et ieiuna incitanda, non omnes doctores bene perspiciunt. Praecipit dein Quintilianus, non nimis esse festinandum in legendi arte tradenda; oritur enim ex eo dubitatio, intermissio, repetitio plus quam possunt audentibus, deinde quum errarunt etiam iis, quae iam sciunt, diffidentibus. Sic igitur in singulis vocibus legendis satis exercitatus, hoc discat discipulus, ut verbum aliquod pronuncians iam videat sequentem vocem. Valde etiam commendat exercitationem legendi nomina et versus magnae difficultatis, ut multa tollantur vitia linguae, quae si inveterascent postea non amplius corrigi possint. Literarum elementa cognoscere, syllabas iungere, nomina discere, verba consociare Hieronymus<sup>2)</sup> quoque praecipit legendi artem addiscenti. De libris, quibus usi sint in legendo, non constat. Ex iis autem, quae dicit Cicero:<sup>3)</sup> „discebamus enim pueri XII, ut carmen necessarium: quas iam nemo

<sup>1)</sup> I, 1, 24, sqq.

<sup>2)</sup> Epist. XII (ad Gaudentium de Pacatulae infantulae educatione.) <sup>3)</sup> De Leg. II, 23.

discit," apparet, tabulas illas pertinuisse ad materiam legendi memoriaeque mandandi. Fuerintne eae etiam in formam metricam Saturnii numeri redactae, quod propter verba Ciceronis laudata suspicatus est Ritschelius<sup>1)</sup> affirmare vix ausim, etsi eo me proniorem esse fateor, quam ad commendandam Bernhardyi sententiam, qui ex iisdem Ciceronis verbis collatoque de Or. (I, 57) loco dixit:<sup>2)</sup> non totas tabulas nullis verbis omissis lectas et recitatas, sed delectum habitum esse formularum vitae usui inservientium et sententiarum ethicarum. Quoniam antiquioribus temporibus libri procul dubio rari fuerunt, magister ipse dictata dederit sua discipulis legenda vel adhibuerit libros illos, quos antiquissimi doctorum Livius et Ennius scripserant. Livii carmina Horatio puero plagosus solebat dictare Orbilius. Atqui erat vir ille grammaticus (literatus), non literator, cui igitur munus non erat mandatum, ut prima elementa doceret discipulos, quibus interpretari debebat poetas. Verum si libri illi, ut postea ea, quae Virgilius, Horatius, Cicero scripserunt, in grammaticorum scholis in usu fuerunt, quidni ponamus, eadem scripta fuisse adhibita ad artem le-

<sup>1)</sup> Poes. Saturn. spicileg. p. 5, cui assentitur Schoell: Legis duodecim Tabularum reliquiae. Lipsiae 1866. p. 4.

<sup>2)</sup> Lapides mchreule omnes flere ac lamentari coëgisset, ut totum illud, uti lingua nuncupasset, non in XII tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum videretur.



gendi minus provectiores docendum. Quod de antiquioribus temporibus valet, hoc minime quadrat in tempora Imperatorum. Libri tunc neque erant rari et haud magno pretio comparari poterant, quin minore, ut Schmidtio persuadet Martialis locus, <sup>1)</sup> quam nostro tempore. Cum hac parte puerilis institutionis, de qua egimus, cohaerent praecepta Latine loquendi, „quae,” ut ait Cicero <sup>2)</sup>, „puerilis doctrina tradit, et subtilior cognitio ac ratio literarum

---

<sup>1)</sup> Mart. XIII, 3.

Omais in hoc gracili Xeniorum turba libello  
 Constabit nummis quatuor empta tibi.  
 Quatuor est nimium? poterit constare duobus,  
 Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.

De his autem versibus Schmidtius sic disputat:

Bedenkt man dass die Xenien in dem compressesten Druck, in der Tauchnitsischen Stereotypausgabe grade einen Druckbogen füllen, in der Ausstattungswaise unserer neueren Dichter aber etwa anderthalb einnehmen würden, und bringt man andererseits den Posten für den Einband, welcher bei dem heutigen Verlage ganz wegfällt, mit dem gewisz geringen Satze von 1 Sgr. in Abzug: so kam demnach im römischen Buchhandel der heutige Druckbogen Text in den allertheuersten Ausnahmefällen auf  $2\frac{2}{3}$  bis 4 Sgr., im gewöhnlichen Durchschnitt aber nur auf 1 bis  $1\frac{1}{2}$  Sgr. (14 bis 21 Centimes) zu stehen, — ein Erfolg der sich gegenwärtig in dem englischen und französischen Buchhandel fast nie, in dem deutschen nur in den selteneren Fällen herzustellen. — Gesch. der Denk- u. Glaubensfreiheit im ersten Jahrh. der Kaiserherrschaft u. des Christenthums, p. 137.

<sup>2)</sup> De Orat. III, 13, 48.

alit aut consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, libri confirmant et lectio veterum oratorum et poëtarum." Discebant etiam carmina antiqua, in quibus erant laudes maiorum, <sup>1)</sup> tum dicta clarorum virorum et electos ex poëtis maxime locos. <sup>2)</sup>

De scribendi arte Quintilianus haec tradit: <sup>3)</sup> „Cum vero iam ductus sequi coeperit, non inutile erit eas (litteras) tabellae quam optime insculpi, ut per illos velut sulcos ducatur stilus. Nam neque errabit, quemadmodum in ceris, (continebitur enim utrinque marginibus neque extra praescriptum egredi poterit) et celerius ac saepius sequendo certa vestigia, firmabit articulos, neque egebit adiutorio manum suam manu superimposita regentis." Unde apparet, aliam huius artis tradendae methodum in usu fuisse, qua manu sua magister dirigebat manum discipuli. Diu post Quintilianum hanc consuetudinem tenuerunt magistri. <sup>4)</sup> Scribebant autem discipuli in tabulis cera obductis, in quibus praescriptos litterarum ductus sequebantur. <sup>5)</sup> Romani vulgo in altera tantum chartae parte scribebant; altera illa pars et ad alios

<sup>1)</sup> Nonius p. 54 v. assa voce. <sup>2)</sup> Quint. I, 1, 36.

<sup>3)</sup> I, 1, 27.

<sup>4)</sup> Vop. Tacit. 6, Impuberes et quibus ad subscribendum magistri literarii manus teneant. — Seneca Ep. 94, 51. Pueri ad praescriptum discunt; digiti illorum tenentur, et aliena manu per litterarum simulacra ducuntur; deinde imitari iubentur proposita et ad illa reformare chirographum.

<sup>5)</sup> Quint. X, 2, 2.

usus adhibebatur et eo inserviebat, ut eorum liberi exercitationis gratia in ea scriberent. Hinc Martialis: <sup>1)</sup>

Si damnaverit, ad salariorum  
Curras scrinia protinus licebit,  
Inversa pueris arande charta.

Diccbantur tales chartae opisthographa. Ad scribendum in charta adhibebant calamus, eodem fere modo quo nostra avis penna temperatum, in tabula cera obducta utebantur stilo. <sup>2)</sup> In parietum picturis, quae Herculanei sunt repertae, imago est puellae, quae altera manu tabulam tenet, altera graphium, quo meditabunda labra attingit. <sup>3)</sup> Facultate bene ac velociter scribendi, quae res fere ab honestis eo tempore negligi solebat, non parvi esse faciendam iudicat Quintilianus; <sup>4)</sup> nam dicit „tardior stilus cogitationem moratur, rudis et confusus intellectu caret.” Quum scribere nomina puer coeperat, curandum praecipit idem, ne hanc operam in vocabulis vulgaribus et forte occurrentibus perderet. Poterat enim interpretationem linguae secretioris, quas Graeci *γλώσσας* vocant, dum aliud agitur, ediscere et inter prima elementa consequi rem, quae postea proprium tempus desideraret. Sic quoque versus, qui ad imitationem scribendi pro-

<sup>1)</sup> IV, 86. <sup>2)</sup> Becker Gallus II, 369 ed. 3<sup>iae</sup>.

<sup>3)</sup> Pitt. d'Ercolano, Tom. III. tav. 45.

<sup>4)</sup> I, 1, 28 sqq.

ponerentur, non otiosas sententias habere, sed honestum aliquid monere debebant.<sup>1)</sup>

Velociter omnino Romani videntur scripsisse propter infinitam librorum copiam, quae circumferebatur, pretiumque exiguum, quo venibant. Haec enim unice explicari non possunt ex Romanorum consuetudine servis permultis simul dictandi ea, quae scripto mandanda essent. Pulchre scriptum non esse probant chartae Pompeianae, omniaque monumenta acnea vel lapidea, quibus literae tanta negligentia insculptae sunt, ut comparari nullo modo possint cum iis, quae nunc ab opifice monumentis inciduntur.

Non satis constat, utrum in scholis ars computandi tradita sit, an domi a peculiari magistro, calculator qui dicebatur. Fortasse utrumque obtinuit. Ad hoc argumentum pertinent et alii loci et Horatii verba, quae, quia multis disputationibus ansam dederunt, primum in censum veniunt. Exstant Sat. I. v. 672 sqq.

Noluit (pater) in Flavi ludum me mittere, magni  
 Quo pueri magnis e centurioribus orti,  
 Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,<sup>2)</sup>  
 Ibant octonis referentes Idibus aera.

<sup>1)</sup> I, 1, 35 sqq.

<sup>2)</sup> Ep. I, 1, 53 sqq.

O cives, cives quaerenda pecunia primum est,  
 Virtus post nummos! haec Ianus summus ab imo  
 Prodocet, haec recinunt iuvenes dictata senesque  
 Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.

Ostendit K. F. Hermann <sup>1)</sup>, vocem *tabulam* non tantum significare abacum, nec *loculos* capsam unice calculis servandis destinata, verum eas voces indicare negotia omnia, quibus discipulo in schola opus esset. <sup>2)</sup> Haec filii nobiliorum in urbe Roma non ipsi gestabant, sed servis comitantibus gestanda tradebant. Sic igitur voces *loculos tabulamque* nihil affirmant de computandi arte in scholis tradita. Superest versus ultimus, quem Iahnus sic explicat: octonis mensibus anni scholastici (facit enim cum iis, qui per quatuor menses ferias fuisse putant) i. e. in annos computandi exercitationes instituere. Sic *aera referre* significaret: computare, sed haud scio, an nullo alio loco eam habeat significationem. Denique hoc affero, qua de re postea accuratius erit agendum, lectionem allatam non satis esse certam; sunt enim, qui putent, sic esse legendum: *Octonos* referentes *Idibus aëris*. Huc quoque pertinent, quae leguntur in *Arte Poëtica* v. 325:

Romani pueri longis rationibus assem  
Discunt in partes centum diducere. <sup>3)</sup> Dicat

<sup>1)</sup> Disputatio de loco Hor. Serm. I, 6, 74—76. Marb. 1838.

<sup>2)</sup> Tabula igitur comparetur cum nostro *lei* vel *schrijfboek*, loculi cum nostro *boekentasch*.

<sup>3)</sup> De hoc loco alii aliam protulerunt sententiam. Sic Orellius: "*centum* h. l." ait "ex duodenaria sive unciaria apud Romanos computandi ratione proprie accipi nequit, sed significat vel minutissimas (partes). — Cave autem, ne Horatium loqui putes de usurarum computatione, sed usque ad v. 330 simplicia additio-

Filius Albini: si de quincunce remota est  
 Uncia, quid superat? Poteras dixisse. Triens. Eu!

nis, subtractionis, divisionis exempla proponit. — Marquardt contra (Becker-Marq. l. l. V, 1, p. 97 N°. 518) de legitimae usurae computatione sermonem esse existimat; sic enim disputat: die Knaben lernen — die Procente eines Capitals berechnen. Regelmässig zählt man 12 Procent jährlich, oder 1 Procent monatlich; die monatlichen Zinsen sind die Unzen der jährlichen, mit diesen rechnen die Knaben. Alle anderen Zinsen sind aber nach derselben Formel zu berechnen, wenn man die monatlichen Zinsen von 1 Proc. As nennt, und danach den Ansatz des höheren oder niederen Zinsfußes macht." Eius vero sententiam improbavit G. Friedlein, über das elementare rechnen bei den Römern. (Neue Jahrbücher für Phil. u. Paed. von Fleck u. Masius, 93<sup>ster</sup> Bd., 8tes Ht. 1866.), locum ipse sic explicans: "wenn man für 100 asse 1 as erhält, wie viel Zins trifft dann auf einen einsigen? da nun die Römer das duodecimalsystem bei ihren brüchen hatten, so war die angabe des 100<sup>n</sup> theiles keine einfache aufgabe, sondern bedurfte wirklich der longae rationes, von denen Horatius spricht. Der kleinste teil des as war nach Varro (Hultsch metrologie s. 111 anm. 6) die sextula =  $\frac{1}{72}$  as. Soll nun damit  $\frac{1}{100}$  as ausgedrückt werden, so konnte es nur durch teile der sextula geschehen. Die dimidia sextula gibt  $\frac{1}{144}$ ;  $\frac{1}{100} = \frac{144}{14400} = \frac{100 + 44}{14400} = \frac{1}{144} + \frac{44}{14400}$ ; sexta pars sextulae =  $\frac{1}{432}$ ;  $\frac{44}{14400} = \frac{132}{43200} = \frac{1}{432} + \frac{32}{43200}$ ;  $\frac{1}{24}$  sextula =  $\frac{1}{1728}$ ;  $\frac{32}{43200} = \frac{128}{172800} = \frac{1}{1728} + \frac{28}{172800}$ ; es ist also nahesu  $\frac{1}{100}$  as =  $(\frac{1}{2} + \frac{1}{6} + \frac{1}{24})$  sextula; nimt man nun an, was aber erst zu beweisen wäre, dasz zur Zeit des Horatius das scripulum und die siliqua bereits im gebrauch waren, so konnte man mit scripulum =  $\frac{1}{4}$  sextula

Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?  
Semis.

Haec quoque, si bene perpendimus, dubios nos relinquunt de loco, ubi computaverint pueri. Hoc tantum dicit Horatius, peritissimos fuisse pueros Romanos computandi, quam peritiam magno labore multisque exercitationibus acquisivissent. Magni illam artem factam esse a Romanis, ut facile credimus, ita indicat quoque sententia Quintiliani<sup>1)</sup>: numerorum notitiam non oratori modo sed cui-cunque saltem primis literis erudito necessariam esse.

Fortasse peculiaris magister (calculator) docuit in scholis computandi artem; fieri tamen potuit, ut in ludis literator prima eius doceret elementa, calculatorem vero adirent, qui computandi peritiores esse cuperent. Arctum fuisse vinculum in scholis inter hanc aliasque disciplinas, in primis posterioribus temporibus, e multis locis intelligitur. Augustinus<sup>2)</sup> enim memorat scholas, in quibus legere et scribere

---

und siliqua =  $\frac{1}{24}$  sextula damals das resultat der rechnung annähernd mit den worten angeben: centesima pars assis sunt duo scripula et quinque siliquae. Solche longae rationes hat Christ in dem bericht von der sitsung der philol. classe der Münchener akademie vom 7<sup>n</sup> febr. 1863 s. 112 in dem calculus des Victorius gefunden, und es würde M. das elementare römische rechnen wol anders aufgefasst haben, wenn ihm dieser bericht bekannt gewesen wäre."

<sup>1)</sup> I, 10, 35. <sup>2)</sup> Confess. I, 13.

et numerare discitur, et Isidorus: <sup>1)</sup> „primordia grammaticae artis,” ait, „literae communes existunt, quas librarii et calculatores sequuntur.” Capitolinus <sup>2)</sup> quoque loquitur de puero literis elementariis et calculo imbuto. Cum arte legendi et scribendi facilius coniunguntur computandi elementa, quam cum illis disciplinis, quae ad grammaticorum provinciam pertinebant. Longe autem maior puerorum pars certe non adiit grammaticorum scholas, quorum tamen parentes non ita in rebus lautis versabantur, ut peculiarem praeceptorem domi habere possent. Hi igitur pueri ubi computare didicerint? Aut in ludis literariis aut domi a patribus, quorum tamen bona pars huic negotio vacandi opportunitas defuisse mihi videtur. Peculiares illi computandi scribendique etiam magistri sub Imperatoribus demum memorantur; sic Martialis: <sup>3)</sup>

Nec calculator, nec notarius velox  
Maiores quisquam circulo coronetur.

In oratione divi Pii liberalium studiorum professores a calculatoribus distinguuntur; <sup>4)</sup> Isidorus quoque citat librarios et calculatores. <sup>5)</sup>

In computando Romani utebantur abaco eoque duplicis generis; diversus enim erat, quem in ad-

---

<sup>1)</sup> I, 3. <sup>2)</sup> Pertin. I. <sup>3)</sup> X, 62. <sup>4)</sup> Cod. X, 52, l.

<sup>5)</sup> I, 3. — Inventa est in pago Neuhausen prope WORMATIAM haec inscriptio: Lupilio Luperco doctori artis calculaturae Novionia Motuca mater per Lupilium Lupianum filium f. c.



ditione et subtractione adhibebant, ab eo, qui multiplicando et dividendo inserviebat, quique Pythagoreus dicebatur. Illius tam frequens erat usus, ut in omnibus domibus atque tabernis adesset. Super sunt quatuor abaci, quorum eum, qui Romae servatur in museo Kircheriano, depinxit Marquardt. Abacum, qui multiplicationi divisionique inserviebat, descripsit Boëthius, qui tamen multo ante in usu fuisse videtur. Qua ratione autem abacis illis usi sint veteres, difficile dictu est. Qui de arithmetica additis interdum tabulis egerunt, omnes pertinent ad posteriora tempora; tum rem sic exposuerunt, ut rerum peritis multa quaerenda et prorsus dubia reliquerint. Quare satius esse putavi, ne temere alienis uterer, rem in medio relinquere, praesertim quum eam requireret disputationem, quae huius opusculi fines longe egrederetur. <sup>1)</sup> Exercitatio discipulorum, quam literator vel calculator moderatus esse videtur, in usu magis quam in arte fuerit posita. Tum verba Horatii <sup>2)</sup> indicare mihi videntur, pueros non tantum longis rationibus ad difficiliore quæstiones respondisse, verum etiam ex tempore computavisse. Qua facultate eo minus Romani carere poterant, quod non in quemcunque locum abacum secum ferre poterant. Peculiare in compu-

---

<sup>1)</sup> Cff. Becker-Marq. l. l. V, 1, p. 100—111 et quae contra eum disputavit Friedlein l. l.

<sup>2)</sup> Art. Poët., 323.

tando habebant adiumentum, quod nostratibus prorsus non est in usu; etenim digitos adhibebant eo modo, qui nobis innotuit e Bedae <sup>1)</sup> hac de re libro, e quo partem speciminis gratia subiicimus.

„Primo fit indigitatio in laeva manu tali modo:

Quum ergo dicis Unum, minimum digitum inflectens, in medium palmae artum infiges. Quum dicis Duo, secundum a minimo flexum, ibidem impones. Quum dicis Tria, tertium similiter afflectes, Quum dicis Quatuor, itidem minimum levabis. Quum dicis Quinque, secundum a minimo similiter eriges. Quum dicis Sex, tertium nihilominus elevabis, medio dumtaxat solo, qui medicus appellatur, in medium palmae fixo. Quum dicis Septem, minimum solum, ceteris interim levatis, super palmae radicem pones.

<sup>1)</sup> Beda Venerabilis, vir pro suo tempore doctissimus, vixit ab a. 672 ad 735; probabiliter sua duxit e scriptis antiquiorum, quae nobis perierunt. Iohann Turnmaier (Iohannes Aventinus) Ratisbonae in bibliotheca Emmerana manuscriptum invenit, quod idem caput continebat e Bedae operibus figuris illustratum. Quod a. 1532 publici iuris fecit: „Abacus atque vetustissima veterum Latinorum per digitos manusque numerandi quin et loquendi consuetudo, ex Beda cum picturis et imaginibus.” Debemus nostra iis, quae scripsit W. E. Wüstemaun hoc titulo: Ex Bedae Presbyteri libro de loquela per gestum digitorum et temporum ratione in Jahn's Neue Jahrb. für Phil. und Paed. 15<sup>ter</sup> Suppl.-bd, 4<sup>tes</sup> Ht. Leipzig 1849. — In huius operis fine adsunt tabulae IV, quibus tota res pulcherrime illustratur. Invenitur etiam in „Bedae Opera Colon. 1612 fol. p. 130—143.”

Juxta quem, quum dicis Octo, medicum." e. i. p. Hoc modo progrediebatur laeva manu ad nonaginta; tum dextra manu ad novem milia. Ceteri numeri a decem milibus ad nonaginta milia fiebant in reliqua parte corporis cum laeva manu, v. c. „Porro cum dicis Decem milia, laevam medio pectori supinam appones digitis tantum ad collum erectis. Quum dicis Viginti milia, eandem pectori expansam late superimpones." Denique a centum milibus ad decies centena milia fiebat ope manus dextrae. Ultimum hunc numerum qui exprimebat, ambas sibi manus, insertis invicem digitis, implicabat.

Sic igitur duodeviginti figuris laevae exprimebant novem monades et novem decades; tum totidem figuris dextrae novem hecatontades et novem chiliares; denique decem milia et, quae sequuntur, myriades indicabant tangendo altera manu hanc illamve corporis partem. <sup>1)</sup>

Huc pertinet locus Ovidii: <sup>2)</sup>

At reditus iam quisque suos amat et sibi, quid sit  
Utile, sollicitis supputat articulis.

Et hic quidem versus non favet Marquardo pu-

<sup>1)</sup> Suo tempore usitatum fuisse, ut numeros dividerent in numeros singulos, denarios, centenarios e. i. p. indicat Plutarchus (Apophth. VI): οἱ τῶν ἀριθμητικῶν δάκτυλοι νῦν μὲν μυριάδας. νῦν δὲ μονάδα τίθεναι δύνανται.

<sup>2)</sup> Ep. ex Ponto II, 3, 18.

tanti, usum illum digitorum proprie motus fuisse mimicos explicandos e fervida populorum meridionalium natura, qua gestu motuque idem quod voce exprimant, qualis agendi ratio etiam nunc apud Italos inveniatur, quaeque iis copiam praebet loquendi sine verbis. Sed his dictis Marquardtus se ipse redarguere mihi videtur. Nec probat eius sententiam locus, quem attulit, Suetonii: <sup>1)</sup> „(Claudius) oblatos victoribus aureos prolata sinistra pariter cum vulgo voce digitisque numerabat.” Auctor enim ut peculiare quid memorat, Imperatorem pariter cum vulgo voce digitisque numerasse.

Ludi magister solus in plerisque scholis docendi munere functus esse videtur. At fieri poterat, ut maior discipulorum numerus, quorum non iidem essent progressus, in eadem schola adesset, quod magistrum impediviret, quominus omnibus aequo prodesset. Cui malo sic obviam iri potuit, ut proVectiores magistrum iuverint in iunioribus docendis, qui dicti fuerint hypodidascali (*ὑποδιδασκαί*). Ad quem usum respicere videtur Cicero: <sup>2)</sup> „Sella tibi erit in ludo tamquam hypodidascales proxima; eam pulvinus sequetur.” *ὑποδιδασκῆς* etiam in Colloquiis veteribus Graecis et Latinis memoratur. <sup>3)</sup> Cum iis, quae diximus, non omnino conveniunt,

<sup>1)</sup> Claud. 81.

<sup>2)</sup> Ep. ad Fam. IX, 18.

<sup>3)</sup> Labbaei glossar. (Londini 1816—26) p. 426.

quae tradidit Scaliger, <sup>1)</sup> nam, „proscholus,” inquit, „ab Ansonio redditur subdoctor. Erat enim in schola, qui non docendis tam pueris quam eorum moribus praefectus erat, ut scilicet concinni ad magistrum accederent, ut togam componerent, ut omni gestu, incessu, vestitu compositi essent. Nam ante scholae auditorium erat locus proscholii nomine ab auditorio ipso velo tamquam aliquo intergerivo pariete disseptus. Ibi pueri conveniebant eius loci praefectum, quem proscholum vocabant, ut admonerentur officii sui, antequam ad magistrum reducto velo accederent. Quod sane institutum non possum non valde commendare. Id ego didici ex veteribus puerorum colloquiis utraque lingua scriptis, in quibus ita loquitur puer: „ὡς δὴ ἦλθον πρὸς τὴν κλίμακα ἀνέβην διὰ τῶν βαβμῶν ἀτρέμα ὡς ἔδει, καὶ ἐν τῷ προσχολίῳ ἀπέθηκα βιβρίον καὶ κατέψηξα τρίχας, καὶ οὕτως ἡρμένῳ κέντρῳ εἰσήλθον καὶ πρῶτον ἡσπασάμην καθηγητᾶς, συμμαθητᾶς.”

Legenti statim apparebit, proscholum hunc alium fuisse atque hypodidascalum, de quo diximus. Sed pertinent ea ad posteriora tempora, quibus procul dubio aliter ludi fuerint ordinati quam tempore Ciceronis.

Ludi magistri eo praestantiae haud pervenisse videntur, ut discipulos sine plagis regere possent, neque ulla eos lex vetabat castigare discipulos, nec viden-

<sup>1)</sup> Auson. Lect. I, p. 45, 46 (ed. 1598).

tur parentes intercessisse. Hinc saepe magistri epithetis clamosi et plagosi ornantur. De hominibus illis, vicinis interdum molestissimis, queritur Martialis: <sup>1)</sup>)

Quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister,  
Invisum pueris virginibusque caput?  
Nondum cristati rupere silentia galli,  
Murmure iam saevo verberibusque tonas. <sup>2)</sup>)

Iam Plauti tempore tale ingenium magistris erat. Scutica et flagellum, ferula (*νάρθηξ*), <sup>3)</sup>) quam Martialis <sup>4)</sup>) tristem vocat et sceptrum paedagogorum, virgae saepe memorantur. Hinc manum ferulae subducere significat non amplius ire in ludum. <sup>5)</sup>) Tempora hac in re commutationem non attulerunt, nam Ausonius <sup>6)</sup>) adhuc loquitur de voce imperiosa magistri acerbi, de tetrici praeceptoris habenis, de horrida forma magistri tristis senio, nec voce sereni. Scholam haud amoenam discipulis fuisse in primis hi ostendunt eiusdem versus:

---

<sup>1)</sup>) IX, 68.

<sup>2)</sup>) Mart. XII, 57.

Negant vitam

Ludimagistri mane, nocte pistorum.

V, 84.

Iam tristis nucibus puer relictis

Clamoso revocatur a magistro.

<sup>3)</sup>) Isidor. XVII, 9. Quam dicunt a feriendo, hac enim pueri vapulare solent.

<sup>4)</sup>) X, 62. <sup>5)</sup>) Iuv. Sat. VII, 210. <sup>6)</sup>) Idyll. IV.

Tu quoque ne metuas: quamvis schola verbere  
 multo  
 Inrepet, et truculenta senex gerat ora magister.  
 — — nec te clamor, plagaeque sonantes  
 Nec matutinis agitet formido sub horis:  
 Quod sceptrum vibrat ferulae, quod multa supellex  
 Virgea, quod fallax scuticam praetexit aluta,  
 Quod fervent trepido subsellia vestra tumultu.<sup>1)</sup>

Attamen iam Quintilianus<sup>2)</sup> morem hunc valde improbat caedendi discentes, quamquam et receptum sit et Chrysippus non improbet, primum quia deforme atque servile est et certe, mutata aetate, iniuria; deinde quod si cui tam est mens illiberalis, ut obiurgatione non corrigatur, is etiam plagis melior non fit, postremo quod magistri, dummodo assidui studiorum exactores, hac castigatione facile carent.

Tristissimum castigationis exemplum praebent Picturae Herculanaenses.<sup>3)</sup> Puer praeter cingulum vestibus nudatus plagas accipit, dum superior corporis pars nititur in tergo alius pueri et tertius eius pedes tenet. Discipuli praesentes magnas in manibus tabulas tenent.

Et haec quidem de ludis literariis monuisse sufficiat; quibus tamen satis notum est haud paucos

<sup>1)</sup> Idyll. IV, 24—27. <sup>2)</sup> I, 3, 14.

<sup>3)</sup> Tom. III, tav. 41, 1.

ditiores parentes praetulisse institutionem domesticam. Horum nonnulli liberos ipsi suos docuerunt, veluti Cato Maior, quamquam peritum habens grammaticum Graecum, nomine Chilonis, eumque aliorum puerorum magistrum, et T. Pomponii pater et multis seculis ante Tarquinius Priscus, a quo traditio fert Servium Tullium summo studio omnibus iis artibus, quas ipse didicisset, ad exquisitissimam consuetudinem Graecorum eruditum esse. <sup>1)</sup> In primis temporibus illis, quum Romani ad maiorem cultum pervenerant, nobiliores et ditiores aliunde praeceptores liberis suis quaesiverunt, qui non tantum elementa verum etiam optimas artes docere possent. Sic L. Paulus, devicto Perseo, petebat ab Atheniensibus, ut sibi quam probatissimum philosophorum mitterent ad erudiendos liberos, <sup>2)</sup> qui iam antea, <sup>3)</sup> multos habuerant doctores Graecos, nam Plutarcho teste *οὐ μόνον γραμματικοὶ καὶ σοφισταὶ καὶ ῥήτορες, ἀλλὰ καὶ πλάσται καὶ ζωγράφοι καὶ πώλων καὶ σκυλάκων ἐπιστάται καὶ διδάσκαλοι θήρας Ἕλληνες ἦσαν.* Habebant ergo dehinc nobiliorum maxime virorum liberi praeceptores domi, <sup>4)</sup> qui tantum non omnes erant

<sup>1)</sup> Cic. de Rep. II, 21. <sup>2)</sup> Plin. H. N. XXXV, 11, 40.

<sup>3)</sup> Aem. Paul. 6.

<sup>4)</sup> In domo Ciceronis docebat grammaticus Tyrannio (ad Q. fr. II, 4, 2). Livius Salinator (Cos. 219.) Livium Andronicum habebat liberorum doctorem (Suet. ap. Hieron. Chron. Ol. 148, 2.) Ennius quoque doctor erat (Suet. de ill. Gramm. 1.) Aemilius Paulus habuit Metrodorum Atheniensem praeceptorem. — Plinius



peregrini ex Asia, Graecia, Gallia, Italia oriundi, plerique porro libertini vel libertinorum filii; multi servi adhuc docere coeperant, ut memorat Suetonius in libro de illustribus Grammaticis. Magni autem illi fiebant, nam ingenti pretio interdum vendebantur. Sic Daphnis Lutatius servus literatus 200,000 H.S. constabat Quinto Catulo.<sup>1)</sup> Domini nonnumquam aliis eos locabant. Suetonius<sup>2)</sup> narrat L. Appuleium ab Efcio Calvino equite Romano praedivite 400 annuis conductum multos edocuisse.

Sic doctrina quoque Romae venalis erat ansamque praebat fraudi committendae. Cuius rei indicium est, quod ex Orbilio refert Suetonius.<sup>3)</sup> „Apud maiores,” ait ille, „quum familia alicuius venalis produceretur, non temere quem literatum in titulo, sed literatorem inscribi solitum esse.” Inter antiquissimos grammaticos Suetonius enumerat: L. Aelium Lanuvium<sup>4)</sup> et Servium Clodium<sup>5)</sup> utrumque equitem

---

(Epist. III, 3) de filio Corelliae Hispullae dicit: „adhuc illum pueritiae ratio intra contubernium tuum tenuit; praeceptores domi habuit. Jam studia eius extra limen proferenda sunt, iam circumspectendus rhetor Latinus.”

<sup>1)</sup> Plin. H. N. VII, 29. <sup>2)</sup> De ill. Gramm. 3.

<sup>3)</sup> De ill. Gramm. 4.

<sup>4)</sup> L. Aelius (teste Suet. l. l. 2.) cognomine duplici fuit, nam et Praeconinus, quod pater eius praekonium fecerat, vocabatur, et Stilo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat (Cic. Brut. 56.)

<sup>5)</sup> Fieri potest, ut libertus fuerit nobilissimae illius familiae.

Romanum, qui tamen non origine sed propriis suis meritis ad eam pervenerant dignitatem. Versamur hic in temporibus illis, quibus Italia plena erat Graecarum artium et disciplinarum, studiaque haec et in Latio tum vehementius colebantur. <sup>1)</sup> Tum ille, qui Graecam linguam non didicerat, cultioribus annumerari non poterat; hinc Ovidius <sup>2)</sup> hortatur:

Nec levis ingenuas pectus coluisse per artes  
Cura sit et linguas edidicisse duas.

Studium illud linguae Graecae tam altas iam egerat in vita Romana radices, ut Quintilianus <sup>3)</sup> moneat, ut a Graeco sermone puer inciperet, quia Latinus, plurimis in usu, vel nolentibus se praeberet, et prius etiam disciplinis Graecis instituendus esset, unde, ipso iudice, Romanae fluxissent. Longe praefert idem institutionem publicam privatae. Verum ex argumentis allatis apparet, eum magis spectasse grammaticorum et rhetorum scholas quam ludos literarios.

---

<sup>1)</sup> Tusc. Disp. II, 11. <sup>2)</sup> Ars amandi II, 121.

<sup>3)</sup> I, 1, 12.

## CAPUT III.

### DE INSTITUTIONE IN SCHOLIS GRAMMATICORUM.

---

Ludos literarios iam antiquis temporibus Romae vidimus adfuisse. De grammaticorum autem scholis id affirmari nequit, quae quidem a Graecis in urbem illatae sunt, ut diserta veterum testimonia probant. „Grammatica,” ait Suetonius<sup>1)</sup> „Romae ne in usu quidem olim, nedum in honore ullo erat, rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate nec dum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Initium quoque eius mediocre exstitit, siquidem antiquissimi doctorum, qui iidem et poëtae et semigraeci erant, Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse annotatum est — nihil amplius quam Graecos interpretabantur, aut si quid ipsi Latine composuissent, praelegebant.” Hinc Cicero

---

<sup>1)</sup> De ill. Gramm. 1.

eruditionem liberalem et doctrinam <sup>1)</sup> se percepisse dicit a Graecis. E Suetonii verbis continuo non-nihil eruas de propria verbi grammatica notione. Dicit enim ille, eam neque in usu neque in honore fuisse, quamdiu civitas liberalibus disciplinis non vacaret. Grammatica ergo pertinebat ad disciplinas vel artes liberales, quae etiam ingenuae dicuntur, quibus sunt oppositae artes sordidae vel quaestus illiberales. Artes illas complectebatur, quae repertae sunt, ut mentes ad humanitatem atque virtutem fingerentur. Humanitas autem ea est, quam Graeci vocant *παιδείαν*, quae consociatur semper a viro humanissimo, Ciceronem volo, cum cultu, cum sermone faceto, cum literis. Sic igitur grammatica certis finibus non circumscripta plures paucioresve complectitur artes. Quam ob rem grammatici illis quoque nominibus ornati sunt, quae *πολυμαθίαν* eorum indicarent. Sic „Atteius Philologus,” ut ait Suetonius, <sup>2)</sup> „philologi appellationem assumpsisse videtur, quia, sicut Eratosthenes, qui primus hoc cognomen sibi vindicavit, multiplici variaque doctrina censebatur.” Refert idem „C. Iulium Hyginum studiose et audivisse et imitatum esse Cornelium Alexandrum, Grammaticum Graecum, quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem multi, quidam historiam vocabant.” Seneca <sup>3)</sup> tamen gram-

<sup>1)</sup> Tusc. Disp. II, 10. <sup>2)</sup> De ill. Gramm. 10.

<sup>3)</sup> Epist. 108, 30 sqq.

maticum appellat linguae peritum, philologum esse censet eum, qui inquit in antiquam historiam, et Cicero<sup>1)</sup> grammaticis tribuit poëtarum pertractationem, historiarum cognitionem, verborum interpretationem et pronuntiandi quendam sonum. Quidquid est, grammatici erant viri varia doctrina praediti, multis nominibus apti ad inventutem optimis artibus imbuendam. Non est huius loci exponere de omnibus iis, qui nomine grammaticorum inclaruerunt,<sup>2)</sup> neque disserere de meritis eorum in liberalium artium studio promovendo; hoc tantum quaerimus, quid inventutem docuerint. Grammatici, quorum agmen ducit Crates Mallotes, primum fuerunt Graeci et quidem servi vel libertini; postea vero Romani, artibus ingenuis operam dantes, docuerunt inventutem.

Videamus autem, quos fines varii scriptores grammaticorum posuerint provinciae. Varro dicit, grammaticorum officia constitisse lectione, enarratione, emendatione, iudicio.<sup>3)</sup> Opus grammatici a Se-

<sup>1)</sup> De Orat. I, 42, 187.

<sup>2)</sup> Vidd. Bernhardy R. L. G. p. 206 sqq. et 853 sqq. scriptoresque ibi laudati, et Wittich de Grammatistarum et Grammaticorum apud Romanos scholis.

<sup>3)</sup> Varro apud Diomedem II, p. 421. Lectio est artificialis interpretatio vel varia cuiusque scripti enuntiatio serviens dignitati personarum exprimensque animi habitum cuiusque. Enarratio est obscurorum sensuum quaestionumve explanatio vel expositio, per quam unius cuiusque rei qualitatem poëticis glossulis exsolvi-

neca <sup>1)</sup> indicatur: „syllabarum enarratio et verborum diligentia et fabularum memoria et versuum lex ac modificatio.” Quibus verbis haec sunt praemissa: „grammaticus circa curam sermonis versatur et si latius evagari vult, circa historiam; iam ut longissime fines suos proferat, circa carmina.” Quintilianus <sup>2)</sup> denique „grammaticus,” ait, „de ratione loquendi si disserat, quaestiones explicet, historias exponat, poëmata enarret:” Idem <sup>3)</sup> de grammaticae agens hoc dicit: „haec professio, cum brevissime in duas partes dividatur, recte loquendi scientiam et poëtarum enarrationem, plus habet in recessu quam fronte promittat. Nam et scribendi ratio coniuncta cum loquendo est, et enarrationem praecedit emendata lectio, et mixtum his omnibus iudicium est.” Affirmat deinde grammatici esse officium: versus censoria quadam virgula notare, libros falso inscriptos tamquam subditos summovere, auctores in ordinem redigere. Quae omnia efficiunt lectionem emendatam, aptam ad proponendum discipulis, quod negotium emen-

---

mus. Emendatio est, qua singula prout res postulat dirigitur, existimantes universorum scriptorum sententiam diversam: vel correctio errorum, qui per scripturam dictionemve fiunt. Iudicium est, quo omnem orationem recte vel minus quam recte pronunciatam specialiter iudicamus: vel existimatio, qua poëma caeteraque scripta perpendimus. Teste Victorino est: scribere, legere, intelligere, probare.

<sup>1)</sup> Ep. 88, 3. <sup>2)</sup> I, 2, 14. <sup>3)</sup> I, 4.

dationis iudiciiue nomine indicat. Iuniores in grammaticorum scholis recte loquendi scribendique scientiam didicisse videntur, ad quam rem syllabarum enarrationem, quam dicit Seneca, pertinuerit. Orthographia, quam recte scribendi scientiam Latine dicunt, primo loco in censum veniebat. Huc pertinebat accurata consonantium vocaliumque naturae cognitio.<sup>1)</sup> „Discat puer,” ait Quintilianus, „quid in literis proprium, quid commune, quae cum quibus cognatio; nec miretur, cur ex scamno fiat scabillum, aut a pinna (quod est acutum) securis utrinque habens aciem, bipennis; ne illorum sequatur errorem, qui, quia a pinnis duabus hoc esse nomen existimant, pinnas avium dici volunt.” Praeterea discebant, quot et quae sint partes orationis, nomina etiam et verba declinabant, quae omnia eo tendebant, ut emendate et scriberent et loquerentur. Lectio etiam attendebatur, in qua puer discebat, ubi suspendere spiritum deberet, quo loco versum distinguere, ubi clauderetur sensus, unde inciperet, quando attollenda vel summittenda esset vox, quid, quoque flexu quid, lentius, celerius, concitatus, lenius dicendum esset. Lectio ergo virilis et cum suavitate quadam gravis ea erat, quae hac aetate in scholis erat comparanda. Lectionem autem, a Varrone et Quintiliano ad grammatici munera relatam, Cicero vocat pronuntiandi sonum,

---

1) L. L.

Seneca loquendi rationem curamque sermonis. Haec de altera grammaticae professionis parte. Altera autem pars poëtarum continebat enarrationem, quae, ut recte perageretur, magnam requirebat doctrinae copiam, de qua Quintilianus sic praecipit: <sup>1)</sup> „Nec poëtas legisse satis est; excutiendum omne scriptorum genus non propter historias modo sed verba, quae frequenter ius ab auctoribus sumunt. Tum neque citra musicen grammaticae potest esse perfecta, cum ei de metris rhythmisque dicendum sit, nec, si rationem siderum ignoret, poëtas intelligat, qui (ut alia omittam) totiens ortu occasuque signorum in declarandis temporibus utuntur; nec ignara philosophiae, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima naturalium quaestionum subtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclen in Graecis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui praecepta sapientiae versibus tradiderunt. Eloquentia quoque non mediocri est opus, ut de unaquaque earum, quas demonstravimus, rerum dicat proprie et copiose.” Videmus Quintilianum nullas omittere muneris grammaticorum partes, quas Cicero, Varro, Seneca enumerant. Coniungit enim poëtarum pertractationem cum historiarum cognitione, quam Seneca fabularum dicit memoriam et verborum interpretationem vel quaestiones, nec versuum legem ac mo-

---

<sup>1)</sup> l. l.



dificationem, ut Latine dicunt, metra rhythmosque omittit.

In scholis grammaticorum primo praecipuoque loco poëmata fuisse pertractata ex iis, quae disseruimus, satis constat. „Poëtae,” ait Cicero<sup>1)</sup> „quum magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se tulerunt, leguntur, ediscuntur et inhaerescunt penitus in mentibus.”<sup>2)</sup> Poëtarum omnium, qui digni videbantur iuvenum labore studioque, agmen ducebat princeps eorum Homerus,<sup>3)</sup> cui, qui vix minore splendet inter Romanos fulgore, operam se iuvenem dedisse praedicat Horatius:<sup>4)</sup>

Romae nutriri mihi contigit atque doceri,  
Iratu Graiis quantum nocuisset Achilles.

Odyssea, quam Livius Andronicus transtulerat in Latinum sermonem, una cum ceteris eiusdem auctoris scriptis studiose legebantur in scholis etiam tunc, quum non amplius omnibus pulchra viderentur.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Tusc. Disp. III, 2.

<sup>2)</sup> Horatius, Epist. II, 1, 126:

Os tenerum pueri balbumque poëta figurat,

Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem.

<sup>3)</sup> Plin. Epist. II, 14. Sic in foro pueros a centumviralibus causis auspicari, ut ab Homero in scholis.

<sup>4)</sup> Epist. II, 2, 42.

<sup>5)</sup> Hor. II, 1, 69:

Non equidem insector delendaque carmina Livi

Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo

Q. Caecilius Epirota, Attici libertus, primus fertur Latine ex tempore disputasse, primusque Virgilium et alios poëtas novos praelegere coepisse.<sup>1)</sup> Hic igitur effecit, ut etiam Latini poëtae recentiores, si quid scripsissent, quod invenibus esset accommodatum, suum in scholis locum invenirent, quod Quintiliani tempore receptum erat, qui optime institutum esse contendit, ut ab Homero atque Virgilio lectio inciperet.<sup>2)</sup> Ceterum boni erat praeceptoris curare, ne quid legeretur in scholis, quod noceret legentibus.<sup>3)</sup> Summovendus ergo Martialis, qui ipse testatur<sup>4)</sup>, se scribere versus parum severos, nec quos praelegat in schola magister,<sup>5)</sup> qui alium eo nomine magis commendandum poëtam sic alloquitur:<sup>6)</sup>

---

Orbilium dictare; sed emendata videri  
Pulchraque et exactis minimum distantia miror.

<sup>1)</sup> Suet. de ill. Gramm. 16. <sup>2)</sup> 1, 8, 5.

<sup>3)</sup> Quint. 1, 8, 6. Utiles tragoediae, alunt et lyrici; si tamen in his non auctores modo sed etiam partes operis elegeris, nam et Graeci licenter multa et Horatium nolim in quibusdam interpretari. Elegia vero, utique qua amat, et hendecasyllabi — amoveantur, si fieri potest; si minus, certe ad firmiter aetatis robur reserventur. Comoedia, — cum mores in tuto fuerint, inter praecipua legenda erit.

<sup>4)</sup> Mart. I, 35.

<sup>5)</sup> Catull. XVI, 10. Non dico pueris sed his pilosis. — Pers. I, 29. Ten' cirrorum centum dictata fuisse pro nihilo putas?

<sup>6)</sup> Mart. III, 69.

At tua, Cosconi, venerandaque sanctaque verba  
A pueris debent virginibusque legi.

Horatius autem et Virgilius tam studiose in scholis legebantur, ut saepe „totus decolor esset Flaccus et haereret nigro fuligo Maroni.”<sup>1)</sup> Soluta oratio non omnino exclusa fuisse videtur; scribit enim Cicero ad Quintum fratrem: <sup>2)</sup> „meam (orationem) in illum (Calventium Marium) pueri omnes tamquam dictata perdiscant.” Quaedam opera postea in scholis legerentur, docent Ausonii <sup>3)</sup> verba citantis: conditorem Iliados et orsa amabilis Menandri, Flacci modulata poemata altisonumque Maronem et lectum Terenti sermonem. Affert tunc ea, quae ad historicos pertinent; nempe facinus Catilinae Lepidique tumultum et civili mixtum inavorte duellum, quod movit Sertorius exsul socio Ibero. — Quomodo discipuli in tractandis poetis versari debeant, ostendit Quintilianus; <sup>4)</sup> praecipit enim Aesopi fabellas narrare sermone puro et nihil se supra modum extollente, deinde eandem gracilitatem stilo exigere; versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari, tum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quaedam et exornare salvo modo poetae sensu permittit. Praeceptores ergo duplici modo in scholis docebant, nam ipsi discipuli libros habentes suos magistro

---

<sup>1)</sup> Iuv. VII, 226. <sup>2)</sup> Ad Q. fr. III, 1, 4.

<sup>3)</sup> Idyll. IV, 45—65. <sup>4)</sup> I, 9, 2.

praelegebant, interroganti respondebant, animadversionesque audiebant, vel magister praelegebat et dictabat, quae discipuli scriberent, quo simul discerent recte scribere. <sup>1)</sup>

Haec consuetudo postea non obsolevit; in Colloquiis enim Scholasticis haec occurrunt: „dictavit mihi condiscipulus; scripsi dictante magistro.” Memoriae exercendae causa dictata discenda et recitanda erant, <sup>2)</sup> quod discipuli stantes facere solebant. <sup>3)</sup>

Simile exercitationis genus Augustinus <sup>4)</sup> memorat, cui mandabatur, ut diceret verba Iunonis irascentis et dolentis, quod non posset Italia Teucrorum avertere regem, et quidem sic, ut figmentorum poëticorum vestigia sequi cogeretur et tale aliquid dicere solutis verbis, quale poëta dixisset versibus. „Et ille,” ait, „dicebat laudabilius, in quo pro dignitate adum-

<sup>1)</sup> Mart. VIII, 3.

An iuvat ad tragicos soccum transferre cothurnos,  
Aspera vel paribus bella tonare modis?  
Praelegt ut tumidus rauca te voce magister  
Oderit et grandis virgo bonusque puer.

<sup>2)</sup> Hor. Ep. I, 18, 12.

Sic iterat voces et verba cadentia tollit,  
Ut puerum saevo credas dictata magistro  
Reddere.

<sup>3)</sup> Iuv. VII, 152.

Nam quaecunque sedens modo legerat, haec eadem stans  
Proferet atque eadem cantabit versibus isdem.

<sup>4)</sup> Confess. I, 17.

bratae personae, irae ac doloris similior affectus eminebat, verbis sententias congruenter vestientibus." Ex his locis praeterea discimus, grammaticos non minus morosos fuisse quam ludi magistros.

Ad munera grammatici ergo pertinebat, praeter verborum interpretationem, fabularum vel historiarum memoria et versuum lex ac modificatio.<sup>1)</sup> Perspicuum est, hic non cogitandum esse de historia temporum sed in primis de mythologia.<sup>2)</sup> Quod disertis verbis Quintilianus<sup>3)</sup> docet. Tres distinguit narrationum species: fabulam, quae versatur in tragoediis atque carminibus, non a veritate modo sed etiam a forma veritatis remotam; argumentum, quod falsum sed vero simile comediae fingunt; historiam, in qua est gestae rei expositio; quibus expositis haec addit: „grammaticis poëticas dedimus: apud rhetorem initium sit historica, tanto robustior quanto verior." In enarratione illa historiarum diligens quidem erat bonus praeceptor, exponebat tamen non omnes sine discrimine

---

<sup>1)</sup> Quint. I, 8, 13. In praelegendo grammaticus et illa quidem minora praestare debet, ut partes orationis reddi sibi soluto versu desideret et pedum proprietates, quae adeo debent esse notae in carminibus, ut etiam in oratoria compositione considerentur.

<sup>2)</sup> Gell. XIV, 2. Homo adolescens a poëtarum fabulis et a rhetorum epilogis ad iudicandas lites vocatus. — Cf. Quint. I, 9, 18. Seneca, Ep. 88.

<sup>3)</sup> II, 4, 2.

mine sed receptas aut certe a claris auctoribus memoratas. <sup>1)</sup>)

Non deërant grammatici, qui in fabulis tractandis modum non servarent, multamque operam impenderent rebus incertis et ineptis. Mera miracula se invenisse dicit Gellius <sup>2)</sup>) in libro quodam a viro conscripto in literarum cultu non ignobili magnamque aetatis partem in libris versato. Quod iudicium non nimis severum esse fatemur; inter quaestiones enim hae quoque erant: quam ob causam Telemachus cubans iunctim sibi cubantem Pisistratum non manu attigerit sed pedis ictu excitarit, et Euryclyia Telemachum quo genere claustrum incluserit et quae nomina fuerint sociorum Ulixidis. Minus ineptae sane huiusmodi erant disquisitiones: quam ob causam Boeotia ante appellata fuerit Aonia, Aegyptus Aëria, Attice Ἀκτῆ, Macedonia Ἡμαθία. . . Tempora sane ea erant, quae cogent in literarum studio occupatos, ineptiis illis operam dare. Sic Tiberius, qui literis delectabatur, teste Suetonio, <sup>3)</sup>) grammaticos eiusmodi quaestionibus experiebatur: quae mater Hecubae? quod Achilli nomen inter virgines fuisset? quid Sirenes cantare sint solitae? Hanc etiam stultitiam parentibus exprobrat Iuvenalis: <sup>4)</sup>)

Sed vos sacras imponite leges,  
Ut praeceptorum verborum regula constet,

<sup>1)</sup> Quint. l. l. I, 8, 5 sqq. <sup>2)</sup> XIV, 6.

<sup>3)</sup> In vita, 70. <sup>4)</sup> Sat. VII, 229, sqq.

Ut legat historias, auctores noverit omnes,  
 Tanquam ungues digitosque suos: ut forte rogatus,  
 Dum petit aut thermas aut Phoebi balnea, dicat  
 Nutricem Anchisae, nomen patriamque novercae  
 Anchemoli: dicat, quot Acestes vixerit annos,  
 Quot Sículus Phrygibus vini donaverit urnas?

Tertullianus <sup>1)</sup> quoque ludi magistros ceterosque  
 literarum professores deos nationum, nomina, gene-  
 alogias, fabulas, ornamenta honorífica eorum prae-  
 dicasse dicit. <sup>2)</sup> Quo tempore ius augurale omniaque  
 ad sacra pertinentia non omnibus patebant, familiae  
 patriciorum, tanquam bonum peculiare haec sibi  
 summa religione servabant. Quum vero patria sacra  
 negligi atque contemni coepta essent, ad grammati-  
 corum studia referebantur. Sic Gellius <sup>3)</sup> adolescens,  
 Romae, quum ad grammaticos itaret, Apollinarem  
 Sulpicium audiverat, quum de iure augurio quae-  
 reretur, et Macrobius <sup>4)</sup> dicit, se cepisse pontificii  
 iuris auditum.

Haec fere erant grammaticorum in scholis ne-  
 gotia; musice enim et geometria, quibus Quin-  
 tilianus pueros instituendos existimabat, priusquam  
 rhetori traderentur, quae cum grammatica orbem  
 doctrinae a Graecis *ἐγκυκλιον παιδείαν* dictum effi-  
 cerent, ad numerata eorum proprie non pertinebant.

<sup>1)</sup> De Idolol. 10. <sup>2)</sup> Cf. Cic. in Verrem. II, 18, 1.

<sup>3)</sup> Gell. VI, 6. <sup>4)</sup> Saturn. III, 10.

De his autem deque geographia et metrica suo loco dicturi sumus.

Puellas quoque in grammaticorum scholis adfuisse unus docet Martialis locus (vid. supra p. 79). Verba enim Horatii, <sup>1)</sup> quae Marquardtus <sup>2)</sup> huc refert:

Demetri, teque, Tigelli,  
Discipularum inter iubeo plorare cathedras;

ad musicam potius institutionem quam ad grammaticam retulerim propter Acronis ad hunc locum vv.: „Hi modulatores fuerunt et docuerunt puellas ingenuas modos, quia hoc tempore maximum earum studium fuit affectandi lyricam disciplinam.” Alii loci probant quidem, puellas habuisse paedagogos et praeceptores, tacent vero de scholis. <sup>3)</sup> Doctas feminas irridet Iuvenalis, <sup>4)</sup> quae magna arrogantia iudicium proferre solebant de nullis non quaestionibus grammaticis:

Illa tamen gravior, quae quum discumbere coepit,  
Laudat Virgilium, periturae ignoscit Elissae,  
Committit vates et comparat: inde Maronem  
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.  
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis  
Turba tacet, nec causidicus, nec praeco loquatur,

<sup>1)</sup> Sat. I, 10, 90. <sup>2)</sup> Handbuch I. V, p. 112, N. 570.

<sup>3)</sup> Plin. Ep. V, 16. Suet. de ill. Gramm. 16.

<sup>4)</sup> Sat. VI, 434, sqq.



Altera nec mulier : verborum tanta cadit vis,  
 Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas  
 Pulsari.

Nobiliores filias suas domi instituendas curasse praetereaue certos fines disciplinae illi constituisse docent ea, quae ad Helviam scripsit Seneca,<sup>1)</sup> cuius pater, quem optimum dicit virorum, eam sapientiae praeceptis non tam erudiri quam imbui voluerat et quidem propter istas (feminas), quae literis non ad sapientiam sed ad luxuriam uterentur.

Improbanda ergo sunt ea, quae hac de re monuit Naudetus,<sup>2)</sup> puellas ad quartum decimum aetatis annum una cum pueris promiscue in scholis adfuisse, magnumque ex ea consuetudine damnum cepisse. Neque referendus ad scholas grammaticorum, quem ille attulit, locus e Pauli Aeginetae de puerorum educatione libro,<sup>3)</sup> qui dicit a sexto et septimo anno pueros et puellas literatoribus traditos esse. Intelliguntur enim ludi literarii. Quod attinet ad discipulorum aetatem, constat et praetextatos et iuvenes quin etiam viros adisse grammaticorum scholas. Grammaticam necessariam pueris, iucundam senibus dicit Quintilianus.<sup>4)</sup> Narrat etiam

<sup>1)</sup> XVII, 4. (Haase).

<sup>2)</sup> Naudet, sur l'instruction publique chez les anciens et particulièrement chez les Romains — Mém. de l'Inst. de France — Acad. des inscr. et belles lettres IX, 1831, p. 388.

<sup>3)</sup> I, 14. <sup>4)</sup> I, 4, 5.

Suetonius<sup>1)</sup>, Gniphonis Grammatici scholam claros frequentasse viros, in his M. Ciceronem.

Videntur nonnulli praeceptores pueros in classes distribuisse ordinemque dicendi iis secundum vires ingenii dedisse. Quod saltem de suis praeceptoribus narrat Quintilianus,<sup>2)</sup> in quorum schola ita superiore loco quisque declamabat, ut praecedere profectu videbatur, cuius rei iudicia praebantur; ducere classem pulcherrimum habebatur. Nec de hoc semel decretum erat; tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem.

Praeter libros, quibus continebatur materies legendi, alia in discipulis instituendis adiumenta grammaticis non defuisse videntur, veluti tabulae mythologicae continentes imagines inscriptionibusque instructae, quarum specimen superest in Tabula Iliaca.<sup>3)</sup> Ad tempora Tiberii pertinet compendium historicum Graeca lingua confectum, quod edidit Henzen.<sup>4)</sup> A Iuvenale<sup>5)</sup> memorantur de grammatica liber Palaemonis, de rhetorica Theodori. In usum Graecorum, qui sermonem Latinum addiscere cuperent, scripsit S. Dositheus (anno fere 207 a. n.) librum *Ἑρμηνευμάτων* vel Interpretamentorum,<sup>6)</sup> cui in-

<sup>1)</sup> De ill. Gramm. 7. <sup>2)</sup> I, 2, 23.

<sup>3)</sup> Mus. Capitol. IV, 68. Eiusdem generis tabularum fragmenta asservantur in Musco Veronensi et in Museo Borgiano.

<sup>4)</sup> Ann. d. Inst. 1853, p. 93 seq.

<sup>5)</sup> Sat. VI, 452 et VII, 177.

<sup>6)</sup> Cf. S. Dosithei magistri interpretamentorum liber tertius

esse nunc agnoscuntur D. Hadriani sententiae et epistolae (Graece et Latine), fabulae Aesopaeae, disputatio forensis maxime de manumissionibus, fragmenta Hygini lectionum mythologicarum, excerptum aliquod ex Iliade, denique verba et sententiae e quotidiano sermone (Graece et Latine), quem librum Bernhardyus putat confectum esse in usum Graecorum, qui Romae vel Beryti iurisprudentiae operam essent daturi. Quo ille etiam refert Hygini fabulas et Germanici Aratea. Seculo, ut verisimile est, quarto liber confectus est, quo elementa linguae Latinae docebantur, cui titulus: „Probi instituta artium,” qui una cum „Catholica arte” vel „Arte minore” summa floruit auctoritate. Denique hic memoranda sunt Colloquia scholastica, e quibus nonnulli effecerunt mutuam instituendi rationem tum iam fuisse in usu, quorum tamen praecipuum consilium fuisse videtur per Graecam linguam ad Latinam ducere.<sup>1)</sup>

Teste Suetonio<sup>2)</sup> veteres grammatici etiam rhetoricam docebant. Tales erant L. Aelius Stilo, quem perstudiose sese audivisse dicit Cicero<sup>3)</sup>, tum Gni-pho et Atteius. Itaque statim transierunt quidam e

---

ed. E. Böcking, Bonn. 1832; Lachmann über Dosithe. Berl. 1837, p. 18; Bernhardy R. L. G. p. 91.

<sup>1)</sup> Londin. Thes. Ling. Gr. Vol. IX. p. 423, 33. Cf. Bernhardy l. l. p. 91.

<sup>2)</sup> De ill. Gramm. 4. <sup>3)</sup> Brut. 56, 207.

grammatici ludo in forum, atque in numerum praestantissimorum patronorum recepti sunt. <sup>1)</sup> Hinc Atteius a Suetonio inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum fuisse dicitur. Postea, discretis iam professionibus grammatici tamen vel retinuerunt vel instituerunt quaedam genera institutionum ad eloquentiam apparandam, ut problemata, paraphrases, allocutiones, ethologias atque alia hoc genus, ne sicci atque aridi omnino pueri rhetoribus traderentur. <sup>2)</sup> Idem auctor <sup>3)</sup> haec quoque studia a grammaticis mandata esse dicit discipulis suis: dicta praeclare per omnes figuras, per casus et apologos, aliter atque aliter exponere et narrationes tum breviter et presse, tum latius et uberius explicare, Graecorum scripta convertere ac viros illustres laudare vel vituperare. Etiam *θέσεις, ἀνασκευάς, κατασκευάς, χρείας*, sententias clarorum virorum discipulis tractandas et ediscendas dabant. <sup>4)</sup> Iam Quintiliani <sup>5)</sup> tempore consuetudo tenuit, ut praeceptoribus eloquentiae Latinis semper, Graecis interdum discipuli serius quam ratio postularet traderentur. Rhetores enim scientiam ac facultatem declamandi tradebant intra deliberativas iudiciales-

---

<sup>1)</sup> De ill. Gramm. 7 et 10. <sup>2)</sup> Suet. l. l. c. 4.

<sup>3)</sup> De clar. Rhet. 1.

<sup>4)</sup> De sententiis, quae feruntur, Catonis et Varronis vid. Bernhardt, R. L. G. p. 794 et 867.

<sup>5)</sup> II, 1, 1.

que materias (suasorias ac controversias), grammatici vero partes ab iis relictas suscipiebant. Sic factum erat, ut quae rhetoricae prima essent opera, facta essent grammaticae novissima. Omnia enim, quae enumeravimus, ad rhetoricam proprie pertinebant. Sic non semper effici potest e rebus, quae docebantur, quatenam scholae sint intelligendae.

---

## CAPUT IV.

### DE INSTITUTIONE IN SCHOLIS RHETORUM.

---

Quo tempore oratores regnabant in foro, quum vis eloquentiae tanta esset, ut omnes alias disciplinas facile superaret, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni nitendum putabat. <sup>1)</sup> Quamquam tunc quoque, quum omnes res ex unius arbitrio pendere coeperant, dicendi ars tanti fuit momenti, ut ceteras artes comprehenderet, totiusque eruditionis finis esset; nam omnes disciplinae, quibus pueri instituebantur, antequam in rhetorum transirent scholas, eo potissimum inserviebant, ut quam maxime parati essent ad eloquentiae studium. Quemadmodum autem in grammatica, sic in rhetorica quoque ex Graecis pepend-

---

<sup>1)</sup> Cic. de Orat. I, 4, 14.

runt Romani. Apud Graecos semper arctum fuerat vinculum inter rhetoricam et eloquentiam, apud Romanos vero artis praecepta tum demum tradi coepta sunt, quum ars ipsa ad summum iam pervenerat. Iam ipsa vox *rhetor* Graecam indicat rei originem.

Primi conatus rhetoricam lingua Latina docendi vehementer repulsi sunt. <sup>1)</sup> Anno enim 92 (662 U. C.) Cn. Domitius Aenobarbus et L. Licinius Crassus Censores ita edixerunt: <sup>2)</sup> „Renuntiatum est nobis, esse homines, qui novum genus disciplinae instituerunt, ad quos iuventus in ludos conveniat; eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras, ibi homines adolescentulos totos dies desiderare. Maiores nostri, quae liberos suos discere et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque

---

<sup>1)</sup> Apud Gell. XV, 11, leguntur haec, quae pertinent ad a. 161 (U. C. 593.) C. Fannio Strabone M. Valerio Messala Coss. senatusconsultum de philosophis et de rhetoribus Latinis factum est: M. POMPONIUS. PRAETOR. SENATUM. CONSULUIT. QUOD. VERBA. FACTA. SUNT. DE. PHILOSOPHIS. ET. DE. RHETORIBUS. DE. EA. RE. ITA. CENSUERUNT. UTI. M. POMPONIUS. PRAETOR. ANIMADVERTERET. COERABET. Q. UTI. EI. E. REPUBLICA. FIDE. QUE. SUA. VIDERETUR. UTI. ROMAE. NE. ESSENT. Rhetoribus *Latinis* hic locum esse non posse quisque facile animadvertit, namque in ipso secto *rhetores* tantum afferuntur et praeterea edictum a. 662 docet, eo anno demum *rhetores Latinos* exstitisse.

<sup>2)</sup> Suet. de clar. Rhet. 1.

placent, neque recta videntur. Quapropter et iis, qui eos ludos habent, et iis, qui eo venire consueverunt, videtur faciendum, ut ostenderemus nostram sententiam: nobis non placere.”<sup>1)</sup> Nec sine causa in scholas illas invectos esse Censores facile largiemur haec perpendentes Crassi apud Ciceronem verba<sup>2)</sup> „Latini . . . hoc biennio magistri dicendi exstiterunt: quos ego Censor edicto meo sustuleram; non quo (ut nescio quos dicere aiebant) acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud Graecos, qui eiusmodi essent, videbam tamen esse, praeter hanc exercitationem linguae, doctrinam aliquam et humanitatem dignam scientia, hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auferent . . . hominibus opus est eruditis, qui adhuc in hoc quidem genere, nostri nulli fuerunt: sin quando exstiterint, etiam Graecis erunt anteponendi.” Certe literarum Latinarum ea erat conditio, ut rhetoribus Latinis deessent illa subsidia, quibus Graeci rhetores uti poterant, quo factum est, ut institutio eorum quasi fundamento careret.<sup>3)</sup> At-

<sup>1)</sup> Dial. de Or. 35. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur, quos paulo ante Ciceronis tempora exstitisse nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, quod Crasso et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae iussi sunt.

<sup>2)</sup> De Orat. III, 24, 93.

<sup>3)</sup> Bernhardt R. L. G. 60.



tamen quarto iam ab hoc edicto anno (a. 666 U. C.) Plotius rhetoricam Latine docuit, <sup>1)</sup> Cicerone puero, apud quem tum studiosissimus quisque exercebatur. Ciceroni vero hoc non licebat; continebatur enim doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse. <sup>2)</sup> Postea vero Cicero ipse utraque lingua usus est in dicendi exercitationibus. „Commentabar” ait <sup>3)</sup> „declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius.” <sup>4)</sup> Cicero ad praeturam usque Graece declamavit; <sup>5)</sup> Latine vero senior cum Hirtio et Dola-

---

<sup>1)</sup> S. Hieronymus in Eus. Chron. Ol. CLXXIII, 1. Suet. de clar. Rhet. 2.

<sup>2)</sup> De Plotio Cic. (pro Archia 9) haec refert: Marius eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari. Huc respiciens acute animadvertit Naudet l. I. p. 406. Il est remarquable, que le premier exemple de mettre les préceptes de l'éloquence à la portée de tout le monde, en se servant du langage vulgaire pour les dicter, ait été donné par un ami de Marius, et que ce soient deux chefs du parti patricien, qui aient repoussé cette innovation.

<sup>3)</sup> Brut. 90, 310.

<sup>4)</sup> Declamare proprie est clamando vel vehementer dicendo aliquid prodere, (Cic. Verr. IV, 66, 149) declamatio est actio declamandi (Auctor ad Herennium III, 12, 20). Postea rhetoricorum commentationes declamationes dictae sunt, cf. l. Brut. I. Cicero tamen eo vocabulo utitur tantum, ut declamandi actionem indicet.

<sup>5)</sup> Suet. de clar. Rhet. 1.

bella. <sup>1)</sup> Exercitationes illae Ciceronis nitebantur praeceptis ethicis atque historia. Sic dicebat de deorum immortalium iudiciis, de morte et quidem auctore Herodoto aliisque pluribus. <sup>2)</sup> Πυρ quoque pertinent, quas Cicero vocat scholas; <sup>3)</sup> quales sunt de exsilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis. Tum θέσεις, <sup>4)</sup> quas Cicero simul ut rus decurrebat atque in decursu commentabatur: <sup>5)</sup> Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένη; Τυραννουμένης δ' αὐτῆς, εἰ παντί τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον, κἄν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὄλων ἢ πόλις κινδυνεύσειν; Εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς αἴρηται;

Primus omnium Romanorum Asinius Pollio (natus a. 76 a. a. n.) advocatis hominibus scripta sua fertur recitasse. <sup>6)</sup> Labienus, qui eadem floruit aetate, quamquam egregie declamabat, non admittebat populum: et quia nondum haec consuetudo erat inducta, et quia putabat turpe ac frivolae iactationis. Augustus iam, ut ingenia seculi sui foveret, recitantes et benigne et patienter au-

<sup>1)</sup> Cf. Osannus, C. Suet. Tranq. de gramm. et rhet. libelli Gissae 1854, p. 89.

<sup>2)</sup> Tusc. Disp. I, 47. <sup>3)</sup> Tusc. Disp. III, 34.

<sup>4)</sup> Ep. ad Att. IX, 4. <sup>5)</sup> l. l. Ep. 9.

<sup>6)</sup> Sen. Exc. Controv. IV.

diit, nec tantum carmina et historias sed et orationes. <sup>1)</sup> Eiusdem in primis temporibus crevit rhetorum numerus et auctoritas. Quod arcte cohaeret cum mutata eloquentiae forma. Libertate exstincta res plerumque minoris momenti in foro agebantur, quae ipsae per se auditores allicere non poterant. Hinc opus erat verborum ornamentis, fucato quodam stilo, poëtico decore, quo res satis ieiunae tamquam splendido vestitu ornarentur. Cassius Severus, qui eo tempore vixit, quem primum affirmant flexisse a vetere atque dicendi directa via, non infirmitate ingenii nec inscitia literarum transtulit se ad illud dicendi genus, sed iudicio et intellectu. <sup>2)</sup> Vidit namque cum condicione temporum et diversitate aurium formam quoque et speciem orationis esse mutandam. Non amplius placebant illi oratores, qui non ad aures iudicantium cum voluptate pervenirent, qui non colore sententiarum invitare et allectare studerent audientes. Sic igitur, foro relicto, eloquentia in scholis rhetorum consedit, quo numerus et dignitas eorum simul vehementer increverunt.

Blandus primus, eques Romanus, Romae docuit rhetoricam, ante quem intra libertinos praeceptores pulcherrimae disciplinae continebantur, et minime probabili more turpe erat docere, quod honestum erat discere. Sensim vero, quum Romani magno

---

<sup>1)</sup> Suet. Oct. 89. <sup>2)</sup> Dial. de Or. 19.

studio colere coeperunt artes ingenii, ea quoque utilis honestaque apparuit: multique eam praesidii causa et gloriae appetiverunt; magno igitur studio hominibus iniecto, magna etiam professorum <sup>1)</sup> ac doctorum <sup>2)</sup> exstitit copia, quorum nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium atque ad summos honores processerunt. Quod ostendit Marcelli Eprii exemplum, qui eloquentia sua ter milies sestertium corraserat. Hinc non mirum, centum et sedecim rhetores enumerari posse et uno anno tres periisse rhetores in una urbe Roma. <sup>3)</sup> Brevi tempore per totum orbem Romanum rhetorum scholae exstiterant, ut docet Iuvenalis, <sup>4)</sup>

Gallia causidicos docuit facunda Britannos:  
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.

Si autem quaerimus, qua ratione discipulos suos instituerint rhetores, hoc continuo animadvertendum videtur, rationem docendi, ut ait Suetonius, neque unam omnibus neque eandem singulis semper fuisse varioque quemque modo discipulos exercuisse; tum, quod iam attigimus, nonnullas partes institutionis

---

<sup>1)</sup> Profiteri absolute positum significat rhetoricam docere (Plin. Ep. IV, 11, 7. II, 18, 3) vel grammaticam (Quint. I, 5, 7). Hinc professorum nomen commune est grammaticis cum rhetoribus (Plin. Ep. II, 3, 5. Quint. XII, 11, 6. Dial. de Or. 26, 35. cf. Wittich l. l.

<sup>2)</sup> Professores ostenderunt, doctores praeceperunt dicendi artem.

<sup>3)</sup> Mart. II, 64. <sup>4)</sup> XV, 111. cf. Tac. Agr. 4.

rhetoricae a grammaticis arreptas fuisse. De his igitur primum dicendum, in quibus exponendis sequamur Quintilianum ducem fide dignissimum. Qui primum huic respondet quaestioni, quando rhetori tradendus sit puer. In hoc non id aestimandum censebat,<sup>1)</sup> cuius quisque esset aetatis, sed quantum in studiis iam effecisset; tradendus igitur puer quum potest. Rhetoris autem, prima officia operis sui non recusantis, a narrationibus statim et laudandi vituperandique opusculis cura desiderabatur.

Narrationes stilo componere adhibita maxima diligentia primum iudicavit in rhetorum scholis laborem.<sup>2)</sup> Quo ut accederet, discipulo primum erat discendum recte dicere. Sic narrando et dicendo iam paulo exercitus opus sequebatur destruendi confirmandique narrationes, quod *ἀνασκευή* et *κατασκευή* vocabatur. Quod non tantum fiebat in fabulosis et carmine traditis verum etiam in ipsis annalium monumentis. Quaerebatur v. c. an sit credibile super caput Valerii pugnantis sedisse corvum, qui os oculosque Galli rostro atque alis everberaret, vel dicebatur de serpente, quo Scipio traditur genitus, de lupa Romuli, de Egeria Numae. Hanc iam exercitationem sequebatur labor difficilior, positus in laudandis claris viris et vituperandis improbis, quacum coniungi poterat comparatio, uter melior uterve deterior esset. Communes loci etiam

<sup>1)</sup> Quint. II, 1, 7. <sup>2)</sup> II, 4, 15.

vel simplices, ut in adulterum, aleatorem, petulantem, vel ad quasdam species deducti, ut in adulterum caecum, aleatorem pauperem, petulantem senem proponebantur et theses <sup>1)</sup> e rerum comparatione sumptae, ut, rusticanae vita an urbana potior, iurisperiti an militaris viri laus maior. Aliud genus exercitationis, quo ad coniecturales causas praeparatum se esse dicit Quintilianus a suis praeceptoribus, hoc erat: quaerere atque exsequi, cur armata apud Lacedaemonios Venus, et quid crederetur Cupido puer atque volucer et sagittis ac face armatus. Ad genera institutionum, quae ad eloquentiam praepararent, praeterea referebantur problemata et allocutiones, <sup>2)</sup> quae controversiarum genera faciliora fuisse videntur, tum paraphrases et ethologiae, quae sic videntur esse distinguendae a sententiis, <sup>3)</sup> ut hae essent voces universales, illae certis personis iunctae. Ethologia v. c. est descriptio certi cuiusdam amici; sententia: *amicus certus in*

---

<sup>1)</sup> Infinitae quaestiones dicuntur a Quintiliano, quae, remotis personis et temporibus et locis ceterisque similibus, in utramque partem tractantur, quod Graeci *θέσις* dicunt, Cicero propositum, alii quaestiones universales civiles, alii quaestiones philosopho convenientes. Hoc genus Cicero scientia et actione distinguit, ut sit scientiae: *an providentia mundus regatur?* actionis: *an accedendum ad rempublicam administrandam?* Quint. III, 5, 5. cf. etiam X, 5, 11.

<sup>2)</sup> Suet. de ill. Gramm. 4.

<sup>3)</sup> Quint. I, 9, 3.

*re incerta* cernitur. Chriae etiam memorantur, quae cuius fuerint generis sane non percipies ex iis, quae dicit Quintilianus: <sup>1)</sup> „chriarum plura genera traduntur: unum simile sententiae, quod est positum in voce simplici: *dixit ille*, aut: *dicere solebat*; alterum, quod est in respondendo: *interrogatus ille*, vel: *cum hoc ei dictum esset, respondit*; tertium huic non dissimile: *cum quis dixisset aliquid vel fecisset.*” Erant autem chriae sententiae vel loci communes ad certos casus relatae et secundum certas leges elaboratae, quales nobis relictas sunt ab Hermogene et Aphthonio rhetoribus. Quae omnia suo tempore Suetonius <sup>2)</sup> omitti iam videbat.

Teste eodem, haec quoque erat exercitatio, ut discipuli dicta praeclare per omnes figuras (σχήματα), per casus et apologos aliter atque aliter exponerent. Apologorum exempla praebent Gellius <sup>3)</sup> et Quintilianus <sup>4)</sup>, e quibus apparet poëticas fabulas, in primis vero fabulas Aesopicas sic esse dictas. Genus illud, quod versabatur in casuum commutatione, cognosci potest ex auctore ad Herennium, <sup>5)</sup> ubi hoc occurrit specimen: „Alexander Macedo summo labore animum ad virtutem a pueritia confirmavit. Alexandri virtutes per orbem terrae cum laude et gloria sunt. Alexandro si vita longior data esset, Oceanum manu Macedonum transvolasset.

<sup>1)</sup> I, 9, 4. <sup>2)</sup> De ill. Gramm. 4. <sup>3)</sup> II, 29.

<sup>4)</sup> V, 11, 17. <sup>5)</sup> IV, 22.

Alexandrum ut omnes maxime metuerunt, item plurimum dilexerunt."

Quaedam etiam ad usum communis vitae instituta tum utilia et necessaria, tum perniciosa et supervacanea ostendere solebant.

Graecorum scripta interdum convertebantur, quam exercitationem magni iam fecerunt oratores, antequam scholae rhetorum exstiterant.<sup>1)</sup> Convertisse se ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se contrarias narrat Cicero<sup>2)</sup>; "nec converti" ait, "ut interpretes, sed ut oratores, sententiis iisdem et earum formis tamquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis; in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum vimque servavi."

"Vertere Graeca in Latinum," teste Quintiliano,<sup>3)</sup> "veteres oratores Romani optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit, quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos. Id Messalae placuit, multaeque sunt ab eo scriptae ad hunc modum orationes."<sup>4)</sup> Multum quoque tribuit idem conversioni ex Latinis, quam rem Quintilianus<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Horat. Epist. II, 1, 164.

<sup>2)</sup> De Opt. gen. Orat. 5, 14. <sup>3)</sup> X, 5, 2.

<sup>4)</sup> Cf. Cic. Or. I, 34, 155. de Fin. I, 3. Plin. Ep. VII, 9.

<sup>5)</sup> X. 5, 9.



dicit nostra pluribus modis tractare, velut eadem cera in alias aliasque formas duci solet. Memorat Seneca<sup>1)</sup> inter exercitationes epichiremata<sup>2)</sup>, cnthymemata<sup>3)</sup> et schemata.<sup>4)</sup> Debebat rhetor de sententia Quintiliani<sup>5)</sup> historiae atque etiam magis orationum lectione discipulos instruere. Historiae tribuit<sup>6)</sup> non nisi leve ad oratorem formandum momentum; censebat enim, posse eam alere orationem quodam uberi iucundoque suco, sed tamen plerasque eius virtutes oratori vitandas esse videbat, quippe quae esset proxima poëtis et quodammodo carmen solutum, scripta ad narrandum non ad probandum, et non ad actum rei pugnamque praesentem sed ad memoriam posteritatis et ingenii famam composita, quae verbis remotioribus et liberioribus figuris narrandi taedium

1) Praef. Controv. I.

2) Secundum Quintilianum (V, 14, 14) nullo differt a syllogismis, nisi quod hi et plures habent species et vera colligunt veris, epichirematis frequentior circa credibilia est usus.

3) In Rhet. ad Her. II, 2, dicitur argumentatio; „Enthymema” ait Quintilianus (V, 14, 24.) „ab aliis oratorius syllogismus, ab aliis pars dicitur syllogismi, propterea quod syllogismus utique conclusionem et propositionem habet et per omnes partes efficit, quod proposuit, enthymema tantum intenta intelligi contentum sit.

4) Pleraque gratiora sunt, si inventa subito nec domo allata sed inter dicendum ex re ipsa nata videantur, unde illa non iniucunda schemata: *paene eecidit mihi*, et *fugerat me*, et *recte admones*. Quint. IV, 5, 4.

5) II, 5, 1. 6) X, 1, 31.

evitaret. Lectio vicibus factis a Quintiliano uni alicui adolescentium mandabatur et alias ab causas et ut protinus discipuli pronunciationi assuescerent; rhetori vero expositio causae, in quam oratio erat scripta, omnisque in elocutione, rerum inventione, totius operis compositione artis demonstratio. Etiam hoc utile iudicabat, aliquando corruptas et vitiosas orationes palam legi ostendique in his, quam multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciva, effeminata essent.

Debet autem praeceptor frequenter interrogare et iudicium discipulorum experiri, ut audientibus securitas absit, nec, quae dicentur, superfluant aures, simulque ad id perducantur, quod ex hoc quaeritur, ut inveniant ipsi et intelligant. 'Tum ediscant') electos ex orationibus vel historiis aliove quo genere dignorum ea cura voluminum locos; aliquando tamen, non saepe, permittendum, quae ipsi scripserint dicere, ut laboris sui fructum etiam ex illa, quae maxime petitur, laude plurimum capiant.

Haec omnia ad ea materiae genera praeparabant, quae praecipuum efficiebant rhetorum laborem: ad suasorias et controversias; 2) illae tamquam plane leviores et minus prudentiae exigentes adolescentibus, hae robustioribus delegebantur, quae proprie ad iudicia praepararent. Quibus igitur haec erat lex, ut forensibus causis simillima foro quam maxime

---

1) II, 7. 2) Dial. de Or. 35.

praepararent. <sup>1)</sup> Totum illud genus fictae ad fori consiliorumque imitationem materiae dicendi (suasoriae et controversiae) circa Demetrii Phalerei tempus ortum erat, unde Romam translatum mox studiosissime a celeberrimis oratoribus exercebatur. <sup>2)</sup> Vox *suasoria* apud Ciceronem eiusque aequales haud legitur; *controversia* frequenter quidem sed pugnam et rixam significans. A rhetoribus haec dicebatur de re in disputationem vocata et habita de ea oratione. Hinc M. Seneca <sup>3)</sup> genus materiae, quo exercebatur, adeo novum dicebat, ut nomen quoque eius novum esset. „Controversias” ait „nos dicimus, Cicero *causas* vocabat.” Alterum eius nomen *scholastica* quoque pertinet ad tempora Cicerone posteriora. Simili ratione in Tusculanis vox *schola* invenitur. <sup>4)</sup> Utraque species nomen habet *declamationis*. Supersunt nobis nonnullae declamationes, quae omnes inde ab Augusti aetate exstitisse videntur. Quod vero ad antiquiora tempora attinet; hoc tantum novimus: Brutum orationem pro Milone exercitationis causa scripsisse, in qua non tantum, ut Cicero, Clodium quippe insidiatorem iure etsi non Milonis consilio occisum esse dixerit, sed etiam gloriatus sit occiso malo cive. Quam exercitationem, ut causas vel easdem, quas agi audissent, stilo etiam ipsi componant, vel etiam alias

<sup>1)</sup> Quint. II, 10, 7. X, 5, 14. <sup>2)</sup> Quint. II, 4, 41.

<sup>3)</sup> Praef. Controv. I. <sup>4)</sup> Vid. l. l. p. 107.

veras modo et utrinque tractent, Quintilianus <sup>1)</sup> eloquentiae studiosis censet longe utilissimam et consuetudini, quam Cestius amabat, rescribendi veteribus orationibus praefert, quum satis cognosci causa non possit ex sola defensione.

Iam vero, ut redeamus ad declamationes illas, tres sunt, quae Sallustii nomen ferunt: duae orationes sive epistolae *ad C. Caesarem de ordinanda republica*, et *declamatio in M. Tullium Ciceronem*. Tum exstat *responsio in Sallustium*, quae M. Tullio et *declamatio contra L. Sergium Catilinam*, quae M. Porcio Latroni, celebri Augusti aetate rhetori, tributa est. Has omnes, antiquioribus Sallustii editionibus iunctas, e rhetorum scholis profectas esse nunc constat inter viros doctos. Ex eodem fonte fluxisse inde a Marklando multi statuunt *Oratt. IV. post reditum: in Senatu; ad Quirites vel or. cum populo gratias egit; de domo sua ad Pontifices; et de haruspicum responsis*, quam eos alii, in primis recentiores, Ciceroni vindicare conati sunt. <sup>2)</sup>

Summi momenti sunt ea, quae scripsit M. Annaeus Seneca Rhetor, Corduba oriundus, pater Senecae philosophi, avus Lucani poëtae. Hic ad summam iam aetatem proventus, regnante Tiberio, rogantibus filiis

<sup>1)</sup> X, - 5, 20.

<sup>2)</sup> Citantur hi a Baehrio: *Ges. der Röm. Lit.* II, § 284 et a Bernhardy. *R. L. G.* 766.

Novato, Seneca et Mela collegit et sine ordine composuit dicta praeclara <sup>1)</sup> centum amplius auctorum Graecorum et Latinorum, quae audita ab ipso memoriae nondum elapsa erant. Populo ea dedicavit, ut et cives, quamvis notitiae eorum clari declamatores subducti essent, tamen non crederent tantum de iis, sed ipsi etiam iudicarent et ut, quaecumque ipse a viris celeberrimae facundiae dicta teneret, ne ad quemquam privatim pertinerent. „Fere enim” ait ipse <sup>2)</sup> „aut nulli commentarii maximorum declamatorum exstant aut, quod peius est, falsi. Itaque ne aut ignoti sint aut aliter quam debent noti, summa cum fide suum cuique reddam.”

Librorum illorum decem *Causarum* superest *liber septem Suasoriarum, libri quinque* (I, II, VII, IX, X.) *Controversiarum* et *Excerpta libri X. Controversiarum*, quae locis corruptis *Controversiarum* restituendis inserviunt; adsunt praeterea praefationes, quae in primis valent ad indolem declamatorum cognoscendam. Occurrunt ergo ea, quae praeclare dixerunt M. Porcius Latro, C. Albucius Silus, Q. Arellius Fuscus, L. Cestius Pius, Iunius Gallio aliique minus clari. *Controversiae* numero sunt quinque et triginta. Exstat praeterea ingens earum numerus, quae perperam olim Quintiliano tribue-

<sup>1)</sup> Scaliger in Euseb. p. 120. Ibi declamationes non apponuntur, sed acute dicta pauca de multis καὶ παρεκβολαὶ χρήσεων.

<sup>2)</sup> Praef. Controv. I.

bantur. Sunt illae undeviginti integrae et centum quadraginta quinque excerptae e trecentis octoginta octo. Tempore, ut videtur, Hadriani scripsit Calpurnius Flaccus, cuius nomine feruntur *quingenta una excerpta X Rhetorum minorum.*<sup>1)</sup>

Suasoria autem ad illud pertinet causarum genus, quod deliberativum (*βουλευτικόν*) dicitur, quodque in consultatione positum, habet in se suasionem et dissuasionem, unde nomen quoque duxit.<sup>2)</sup> „Pars deliberativa, quae eadem suasoria dicitur,” ait Quintilianus,<sup>3)</sup> „de tempore futuro consultat, quaerit etiam de praeterito. Officiis constat duobus suadendi ac dissuadendi. — In quo tria erunt spectanda, quid sit de quo deliberetur, qui sint qui deliberent, qui sit qui suadeat.”

Varia genera suasoriarum Quintilianus<sup>4)</sup> distinguit, cui longe difficillimae videntur prosopopoeiae,

---

1) De iis sic disputat Bonnell, in comment. hist. de mutata sub primis Caesaribus eloquentiae Romanae condicione, in primis de Rhetorum scholis, (Berol. 1836.) Iam Petrus Burmannus in praefatione editionis clari rhetoris monet viros doctos dudum ostendisse, diversorum auctorum et non unius aetatis eas esse, quum una sit alia nitidior et elegantior, cuius ego iudicio addiderim, me dicendi genere diligentius examinato evidentissime probare posse, ne unam quidem harum declamationum Fabiano stilo exaratam sed omnes posterioris seculi esse, quamquam sunt ex iis, quae illius ingenio non omnino indignae videantur.

2) Rhet. ad Her. I, 2, 2. 3) III, 8, 6 et 16.

4) III, 8, 49.

in quibus ad reliquum suasoriae laborem accedit etiam personae difficultas.

Argumenta, ut apparet ex iis, quae libro III affert, exemplis, petebantur ex historia Graeca et Romana, e mythicis quoque temporibus. Alexander Magnus, Hannibal, Pompeius, Caesar, Sulla saepe in suasoriis memorantur. Sic quaerebatur, an Alexander terras ultra Oceanum esset inventurus, an Hannibal rediret, si Scipio exercitum in Africam transtulisset; fingebatur C. Caesar deliberans, an perseveraret in Germaniam ire, quum milites passim testamenta facerent, et Pompeius, Parthos an Africam an Aegyptum peteret. Ponebantur etiam haec: Priami verba apud Achillem aut Sullae dictaturam deponentis in contione; vel sic quaerebatur: Deccatne Caesarem ultio Pompeii? An sit verendum, ne peiorem faciat suarum partium causam, si Pompeium indignum morte fateatur?

De suasoria autem Quintilianus<sup>1)</sup> praecipit: tota oratio simplex et gravis et sententiis debet ornatior esse quam verbis. Suasoriae, quas nobis servavit Seneca septem, exigua tantum pars fuisse videntur earum, quas Seneca literis mandavit,<sup>2)</sup> fortasse ne primus quidem liber integer, quo numero antiquissima suasoriarum editio Veneta inscribitur.<sup>3)</sup> Argumenta eius erant haec: Deliberat Alexander, an

<sup>1)</sup> III, 9, 66. <sup>2)</sup> Vid. Bonnell l. l.

<sup>3)</sup> Bernhardt R. L. G. p. 797.

Oceanum naviget; trecenti Lacones contra Xerxem missi, quum trecenti ex omni Graecia missi fugissent, deliberant, an et ipsi fugiant; deliberat Agamemnon, an Iphigeniam immolet, negante Calchante aliter navigari posse; deliberat Alexander Magnus, an Babyloniam intret, cum denuntiatum esset illi responso anguris periculum; deliberant Athenienses, an trophaea Persica tollant Xerxe minante rediturum se, nisi tollerentur; deliberat Cicero, an Antonium deprecetur; deliberat Cicero, an scripta sua comburat, promittente Antonio incolumitatem, si fecisset.

Quam frequenter de iisdem argumentis dictum sit, ostendunt satyrici. Sic Iuvenalis: <sup>1)</sup>

mihi sexta

Quaque die miserum caput Hannibal implet:  
 Quidquid id est, de quo deliberat, an petat urbem  
 A Cannis, an post nimbos et fulmina cautus  
 Circumagat madidas a tempestate cohortes.

Idem argumentum tangunt haec: <sup>2)</sup>

I, demens, et saevas curre per Alpes,  
 Ut pueris placeas et declamatio fias!

Sullam saepe in censum venisse docent haec:

Et nos ergo manum ferulae subduximus, et nos  
 Consilium dedimus Sullae, privatus ut altum  
 Dormiret. <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> VII, 160. <sup>2)</sup> Iuv. X, 167. <sup>3)</sup> Id. I, 15.



Nec Catonis morituri immemores erant rhetores,  
teste Persio. <sup>1)</sup>

Saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,  
Grandia si nollem morituri verba Catonis  
Discere, non sano multum laudanda magistro. <sup>2)</sup>

Profecto non valde aptae erant declamationes illae nimis ornatae poëticis verbis sententiisque longe remotis ab usu quotidiano. Hinc Quintilianus, <sup>3)</sup> qui nihil inter forense genus dicendi atque declamatorium interesse debere statuit, si profectus gratia discitur, nominibus utendum esse dicit, et perplexas magis et longioris aliquando actus controversias fingendas, et verba in usu quotidiano posita minus timenda, et iocos inserendos, ne declamatores quamquam in scholis exercitati, tirones in foro essent.

Tertium causarum genus iudiciale, positum in controversia, habebat accusationem aut petitionem cum defensione. <sup>4)</sup> Distinguit Quintilianus <sup>5)</sup> causam, quae unius rei controversia constat ab ea, quae constat plurium; illam simplicem dicit, hanc coniunctam. Una controversia est per se furti, per se adulterii. Plures aut eiusdem generis, ut in pecuniis repetundis, aut diversi, ut si quis sacri-

<sup>1)</sup> Sat. III, 45, ad q. l. cf. Jahn.

<sup>2)</sup> Schol.: merito, inquit, mihi lippitudinem accersebam, ne Catonis deliberativam orationem recitarem, utrum moreretur, an non: aut quibus verbis uti potuit, cum se destinaret interficere.

<sup>3)</sup> II, 10, 9. <sup>4)</sup> Rhet. ad Her. I. l. <sup>5)</sup> III, 10.

legii et homicidii simul accusetur. Diversum ab his tertium genus, cuius rei tractatus in parte causae frequens est, ut quum apud centumviros post alia quaeritur et hoc, uter dignior hereditate sit. Quas declamationes, si modo ad veritatem accommodatae et orationibus similes essent, non tantum iuvenibus exercendis utilissimas iudicabat, sed etiam ei, qui iam in foro esset clarus; <sup>1)</sup> declamandi opus, quod foro non praeparabat, aut scenicae ostentationi aut furiosae vociferationi simillimum habebat.

Veteres controversiae, ut Suetonius tradit, aut ex historiis trahebantur, aut ex veritate ac re, si qua forte recens accidisset. Itaque locorum etiam appellationibus adiectis, proponi solebant. Huiusmodi controversiae exemplum hoc est: <sup>2)</sup> „Aestivo tempore adolescentes urbani quum Ostiam venissent, litus ingressi, piscatores trahentes rete adicrunt, et pepigerunt, bolum quanti emerent: nummos solverunt, diu exspectaverunt, dum retia extraherentur: aliquando extractis, piscis nullus infuit sed sporta auri obsuta. Tum emptores bolum suum aiunt, piscatores suum.”

In controversiis saepe lex aliqua proponebatur aut ficta aut alicunde assumpta, ad quam causae quam maxime difficiles et perplexae applicabantur. Ad naturam earum perspicendam multum valent declamationes Pseudo-Quintiliani, in quibus occur-

<sup>1)</sup> X, 5, 14. <sup>2)</sup> Suct. de clar. Rhet. I.

runt omnes veteres dicendi artes, et novae quoque, ut divisio, et sermo et color, unde tractatae et coloratae et figuratae controversiae distinguuntur. <sup>1)</sup>)

Ponebatur v. c. lex Solonis: Liberi parentes alant, aut vinciantur. <sup>2)</sup>) Thema accedebat hoc: Duo fratres inter se dissidebant, alteri filius erat: patruus in egestatem incidit: patre vetante adolescens illum aluit: ab hoc abdicatus tacuit: adoptatus a patruo est: patruus, accepta hereditate, locuples factus est: egere coepit pater: vetante patruo aluit illum: abdicatur. Aliud thema huic legi adiectum sic se habebat: interficit aliquis utrumque fratrem, alterum tyrannum, alterum in adulterio deprehensum, spre-tis patris precibus. Captus a piratis patrem per literas rogat, ut se redimat; qui piratis nuntiat, si manus ei absciderent, se duplex daturum esse redemptionis pretium. Piratae interea eum iam solve-rant. Pater in egestatem incidit: filius eum non alit, pater eum accusat. — Ad leges oblitteratas per-tinet declamatio de fraude legis Voconiae Marcio

---

<sup>1)</sup>) De iis Bonnell (l. l.) haec monet: „destituuntur quidem legum et usus forensis scientia; tantum iudicis et audientium affectibus aut concitandis aut componendis student, nec artificii iurecon-sultorum sed sensu communi nituntur, et hoc in primis est, quod toti huic operi ab acribus declamationum iudicibus semper ex-probratum est, nec immerito: nam scholae tantum praeparabant non vitae. Tamen memorabilis est in iis inventionum copia et varietas ac dolendum modo, quod tantum operae et acuminis in inanem rerum imaginem insumptum est.” <sup>2)</sup>) Sen. Controv. I, 1.

Philippo II. Servilio Caepione Coss. a. a. n. 169 latae et a. 40 Domitio Calvino II. Asinio Pollione Coss lege Falcidia antiquatae, cuius verba declamator sic ponit: ne liceat mulieri nisi dimidiam partem bonorum dare; cui hoc thema subiunctum: quidam duas mulieres dimidiis partibus instituit heredes: testamentum cognati arguunt.<sup>1)</sup>

Propria rhetoribus crimina erant: saepe etiam historiam arbitrio suo mutabant. Lex erat haec: Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrumque interficiat, sine fraude sit; thema: Miltiades peculatus damnatus in carcere alligatus decessit; Cimon filius eius, quum sepeliret, vicarium se pro patris corpore dedit. Callias, sordide dives natus, redemit eum a republica et pecuniam solvit, eique filiam suam collocavit, quam ille deprehensam in adulterio deprecante patre occidit. Ingratus est.<sup>2)</sup> Aliud exemplum hoc est. Lex est: qui hosti opem tulerit, capite puniatur; thema: Alexander bello Athenas quum premeret, templum extra muros positum incendit; pestilentia laborare coepit. Responsum est non posse finiri, nisi templum restituisset. Restituto templo, Atheniensis sacerdos Alexandro pollicente discessurum se ab armis, si dedicaret, dedicavit. Discessit ab obsidione Athenarum Alexander; dicitur sacerdos hosti opem tulisse.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Ps. Quint. Decl. 264. <sup>2)</sup> Sen. Controv. IV, 24.

<sup>3)</sup> Ps. Quint. Decl. 323.

Quintiliani tempore controversiarum argumenta talia erant, quae cum scholae severitate minime convenirent, nec vitae publicae accommodatae essent. Nam, ait „magos et pestilentiam et responsa et saeviores tragicis novercas aliaque magis fabulosa frustra inter sponsiones et interdicta quaeremus.<sup>1)</sup> Tyrannidarum praemia, vitiatarum electiones, pestilentiae remedia, incesta matrum in scholis quotidie agebantur.<sup>2)</sup> Facete Martialis: <sup>3)</sup>

Non de vi neque caede, nec veneno,  
Sed lis est mihi de tribus capellis.  
Vicini queror has abesse furto.  
Hoc iudex sibi postulat probari:  
Tu Cannas Mithridaticumque bellum  
Et periuria Punici furoris  
Et Sullas Mariosque Muciosque  
Magna voce sonas manumque tota.  
Iam dic, Postume, de tribus capellis.

Tyrannicidium erat res decantata in rhetorum scholis. Hinc Iuvenalis: <sup>4)</sup>

Declamare doces? o ferrea pectora Vecti,  
Quum perimit saevos classis numerosa tyrannos. —  
Ad generum Cereris sine caede et vulnere pauci  
Descendunt reges et sicca morte tyranni.

<sup>1)</sup> Quint. II, 10, 5. <sup>2)</sup> Dial. de Or. 3, 5. <sup>3)</sup> VI, 19.

<sup>4)</sup> VII, 150 sqq. et X, 112 sqq.

E Senecae controversiis quinque, e Pseudo-Quintiliani declamationibus duodecim, e Calpurnii Flacci quatuor vario modo hoc argumentum pertractant. <sup>1)</sup>

Mirum profecto videatur, Imperatores tyrannis sacviores passos esse istiusmodi declamationes, quae nunquam ne lege quidem aut edicto vetitae sunt. Sed merito Bonnell in hanc inquirens quaestionem „excelsior et augustior” ait „erat principis et imperatoris, ad quem maiestas omnis populi Romani translata erat, dignitas et legitima in civitate potestas, quam quae se cum istis imaginariis tyrannis conferre dignata sit, aut quae se omnium professorum eloquentiae atque universae studiosae iuventutis vanis declamationibus de gradu deiici vel turbari modo et concuti posse existimaverit. Patiebantur adolescentulos specie quadam pristinae libertatis gaudere, dummodo scholastici, ficta rerum imagine contenti, veritate se abstinerent, neve obliquis verbis aut figuris imperatores ipsos petere viderentur.”

Multi imperatores usque ad ultima reipublicae tempora et declamationibus intererant et ipsi declamabant. Nempe hoc studium unica tunc erat via, quae ducebat ad rempublicam capessendam vel ad artes liberaliter colendas. Scriptores sane haud parci sunt in rhetoribus culpandis, attamen summopere

---

<sup>1)</sup> Titulos adiecta brevi explicatione dedit Schmidt: *Gesch. der Denk- und Glaub. Freiheit etc.* p. 455.

cavendum est, ne ipsis vitio demus, quae e temporum conditione fluxerunt. Minimum in his exercitationibus ii doctores peccabant, qui necesse habebant cum insanientibus furere. Nam ni dixissent, quae adolescentuli probarent, soli in scholis relictii essent. <sup>1)</sup> Cicero quoque „illud unum” ait „directum iter ad laudem cum labore qui probaverunt, prope iam soli in scholis sunt relictii.” <sup>2)</sup> Tales non defuisse docet Martialis: <sup>3)</sup>

Iura trium petiit a Caesare discipulorum  
Assuetus semper Munna docere duos.

Hinc idem, Lauro quum suasit rhetoris suscipere munus, hoc addit: <sup>4)</sup>

Si schola damnatur, fora litibus omnia fervent,  
Ipse potes fieri, Marsya, causidicus.

Parentes enim saepe sollicitos fuisse, quem eligerent praeceptorem, Lupi probat apud eundem poetam exemplum <sup>5)</sup>

Cui tradas, Lupe, filium magistro,  
Quaeris sollicitus diu rogasque.

Accedebat, quod patres exigebant, ut filii quam saepissime declamarent. Discipuli omnia, quae scripserant ipsi, ediscebant. Quod Quintilianus, <sup>6)</sup> qui declamationes non numerandas sed aestimandas cen-

<sup>1)</sup> Petronius Sat. c. 3. <sup>2)</sup> Pro Coelio 17, 41. <sup>3)</sup> X, 60.

<sup>4)</sup> II, 64. <sup>5)</sup> V, 56. <sup>6)</sup> II, 7.

set, vehementer improbat.<sup>1)</sup> Extemporalis dicendi facultas in magno honore esse coepit simulque insane exstitit declamandi studium. Cuiusnam notae declamationes illae saepe essent ex hoc apparet, quod auditores pecunia essent invitandi. Perversa invaluit se invicem laudandi consuetudo,<sup>2)</sup> unde prodierunt ii, quos descripsit Plinius<sup>3)</sup>: „statim sapiunt, statim sciunt omnia: neminem verentur atque ipsi sibi exemplum sunt.” Iuvenem declamantem nobis depinxit Gellius.<sup>4)</sup> Praefatus ille arrogantius et elatius, quam aetati eius decebat, iubet exponi controversias. Cui satisfacit aliquis ex iis, qui aderant, exponens controversiam parum consistentem (*ἀποροῦν*). „Iam” ait Gellius „hac ille audita nec considerata neque aliis, ut proponerentur, exspectatis, incipit statim mira celeritate in eandem hanc controversiam principia nescio quae dicere, et involucra sensuum verborumque volumina vocumque turbas fundere, ceteris omnibus ex cohorte eius, qui audire eum soliti erant, clamore magno exsultantibus.”<sup>5)</sup> Ob haec vitia auctor Dial. de Orat.<sup>6)</sup> scholam dicit locum, in quo nihil reverentiae, sed in quem nemo nisi aequè imperitus intrat; in condiscipu-

1) Cf. I. I. Persii p. 122. Quint. X, 5, 21. II, 4, 16.

2) Quint. II, 2, 12. II, 12, 11.

3) Ep. VIII, 23. 4) IX, 15.

5) Festive huiusmodi declamationem descripsit A. Wittich, de rhetoribus Latinis eorumque scholis. Isenaci 1853.

6) 35.



lis nihil profectus, cum pueri inter pueros et adolescentuli inter adolescentulos pari securitate et dicant et audiantur. Quod Petronius statuit: hoc tantum in iis proficere discipulos, ut, quum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos, confirmatur eo, quod accidit Porcio Latroni declamatoriae virtutis unico exemplo, qui quum pro reo in Hispania Rustico Porcio propinquo suo diceret, usque eo confusus est ut a soloecismo inciperet; nec ante potuit confirmari, parietes desiderans, quam impetravit, ut iudicium ex foro in basilicam transferretur. <sup>1)</sup>

Alii autem rhetores antiquitatis nimii admiratores erant, <sup>2)</sup> alii recentis lasciviae flosculos captabant et sic discipulos suos a recta via abducebant. <sup>3)</sup> Et iuvenes quidem, qui has scholas adibant, non tantum disertissimis viris, sed etiam Ciceroni magistrum suum praeferebant. <sup>4)</sup> Nimiam quoque vim tribuebant in scholis pronuntiationi, sic ut modulationem vocis sectarentur, quae rectius appellari videretur cantus. Quam pravam cantandi consuetudinem Quintilianus et alii merito improbant. <sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Sen. praef. Contr. IV. Quint. X, 5, 18.

<sup>2)</sup> Quint. II, 5, 21. X, 1, 43.

<sup>3)</sup> Dial. de Or. 28. — Quint. VIII, 2, 18. — Teste Seneca (praef. Contr. III.) Albutius semper vulgari utebatur sermone, nam timebat, ne scholasticus videretur. cf. Bernhardy R. L. G. p. 301. <sup>4)</sup> Sen. l. l.

<sup>5)</sup> Quint. XI, 3, 57. Dial. de Or. 26 et 29. Plin. Ep. II, 14, 12.

Multi rhetores colligebant discipulos non severitate disciplinae nec ingenii experimento sed ambitione salutantium et illecebris adulationis et libenter eos detinebant cupiditate diutius exigendi mercedulas.<sup>1)</sup>

Dictis his de vitiis, quibus haud paucae rhetorum scholae laborarunt, pauca addere lubet, ut appareat praestantiores rhetores non tantum eloquentiae verum etiam sapientiae nomine profuisse discipulis.<sup>2)</sup> Quum Arellius Fuscus, qui rhetoricam docuit Fabianum philosophum, in suasoria<sup>3)</sup> de Cicerone peroraret, cui mortem minatus erat Antonius, haec disseruit de corporis animique natura. „Nihil aliud intercidet quam corpus fragilitatis caducae, morbis obnoxium, casibus expositum, proscriptionibus obiectum. Animus vero divina origine haustus, cui nec senectus ulla nec mors, onerosi corporis vinculis exsolutus ad sedes suas et cognata sidera recurret.”

Praeclarae sententiae ethicae ab iisdem prolatae

---

<sup>1)</sup> Quint. XII, 11, 14. — De eloquentiae studio apud Romanos praeclare egit *A. Westermann*, Geschichte der Beredsamkeit in Griechenland und Rom. Zweiter Theil, Leipsig 1835. Ad tempora cognoscenda, quorum imprimis rationem habuimus in expositione de scholis grammaticorum et rhetorum, utilis est liber, quem scripsit *Carl Pitz* hoc titulo: Quintilianus. Ein Lehrerleben aus der Römischen Kaiserzeit. Nach Wahrheit und Dichtung entworfen. Leipsig und Heidelberg 1863.

<sup>2)</sup> Cf. C. Aubertin: de sapientiae doctoribus, qui a Ciceronis morte ad Neronis principatum Romae viguere. Parisiis 1857. ibique Cap. IV.

<sup>3)</sup> Suas VI.

sunt. Proponitur haec controversia: <sup>1)</sup> Tyrannus permisit servis dominas suas rapere. Profugerunt principes civitatis. Inter eos, qui filium et filiam habebat, profectus est peregre. Cum omnes servi dominas suas vitiassent, servus eius virginem servavit. Occiso tyranno, reversi sunt principes; in crucem servos sustulerunt. Ille manumisso filiam iunxit. Accusatur dementiae. — Tum Albutius Fabiani philosophi auditor haec philosophatus est: dixit neminem natum esse liberum, neminem servum, haec postea nomina singulis imposuisse fortunam. Denique, inquit, scis et nos nuper servos fuisse. Retulit Servium regem.

Silius Bassus rhetor ostendit, omnes homines humili loco ortos, si communem omnium originem repetimus. <sup>2)</sup> „Si possent” inquit „homines sibi sortem facere nascendi, nemo esset humilis, nemo egens, unusquisque felicem domum intraret. Sed quamdiu non sumus, natura nos regit, et in quemcunque vult casum nos mittit. Hinc sumus aestimandi, quum sumus nostri. Quis fuit Marius, si illum in suis inspexerimus maioribus? humilis. In tot consulatibus nihil habet clarius quam se auctorem. Pompeium si haereditariae extulissent imagines, nemo Magnum dixisset. Servium regem tulit Roma: in cuius virtutibus humilitate nominis nihil est clarius. . . .” Praeclara haec quoque est senten-

---

<sup>1)</sup> III, 21. <sup>2)</sup> Contr. 1, 6.

tia: „Nemo sine vitio est; in Catone moderatio, in Cicerone constantia, in Sulla clementia desideratur... omnes peccavimus.”<sup>1)</sup>

De bello, quam sit inhumanum, haec Fabianus disputat in controversia: <sup>2)</sup> „ecce instructi exercitus saepe civium cognatorumque conserturi manus; constiterunt et colles equis utrinque complentur et subinde omnis regio trucidatorum corporibus consternitur, illatorum multitudine cadaverum, vel spoliantium. Si quaesierit aliquis, quae causa hominem adversus hominem in facinus coëgit? nam neque feris inter se bella sunt; nec si forent, eadem hominem deceant placidum proximumque divino genus. Quae tanta vos fert ira, quum una stirps idemque sanguis sitis: Vel quae furiae in mutuum sanguinem egere? Quod tantum malum humano generi vel sorte vel fato invectum? an, ut convivia populis instruantur, et tecta auro fulgeant, parricidium tanti fuit?... An, ne quid ventri negetur libidinique, orbis servitium expetendum est?”....

Paucis interiectis declamator erumpit in pulcherrimam hanc vocem: „O paupertas quam ignotum bonum es!”

---

<sup>1)</sup> Contr. II, 12. <sup>2)</sup> Contr. II, 9.



## CAPUT V.

DE RATIONE, QUA INSTITUTIO IN SCHOLIS ORDINABATUR DEQUE PRAECEPTORUM CONDITIONE.

---

Scholae apertae fuisse videntur alto mane, nam Martialis <sup>1)</sup> ludi magistro obiicit:

Nondum cristati rupere silentia galli,  
Murmure iam saevo verberibusque tonas.

Idemque testatur Iuvenalis: <sup>2)</sup>

Dummodo non pereat, mediae quod noctis ab hora  
Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet,  
Qui docet obliquo lanam deducere ferro;  
Dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas,  
Quot stabant pueri, quum totus decolor esset  
Flaccus et haereret nigro fuligo Maroni.

---

<sup>1)</sup> IX, 68. cf. XII, 57. <sup>2)</sup> VII, 222.

Hinc ientacula in scholis sumebant discipuli, quae a pistoribus iis vendebantur. <sup>1)</sup> Magnum interdum rumorem in scholis fuisse, ea probant, quae supra attulimus. Quod Plinius <sup>2)</sup> quoque affirmat, qui ut ostendat, quantum apud iuvenes auctoritatis ex studiis habeat „proxime frequenti auditorio” ait „inter se coram multis ordinis nostri clare loquebantur: intravi, conticuerunt.” Scholae discipulis satis frequentes in classes dividebantur. Praemia et blandimenta in ludis esse data puerulis, suo vidimus loco. Simile quid in Grammaticorum scholis interdum obtinuisse videtur. Verrius Flaccus ad exercitanda <sup>3)</sup> discentium ingenia aequales inter se committere solebat proposita non solum materia, quam scriberent, sed et praemio, quod victor auferret. Erat autem liber aliquis antiquus pulcher aut rarior. <sup>4)</sup>

In scholis inferioribus et grammaticis, feriis exceptis, quotidie lectiones habitae fuisse videntur; in rhetorum scholis certis demum diebus. Quamquam hac de re nihil certi dici potest. Sic M. Antonius Gniphio docuit rhetoricam, ita ut quotidie praecepta eloquentiae traderet, declamaret vero non nisi nundinis. <sup>5)</sup> Diogenes grammaticus disputare Sabbatis Rhodi solitus, venientem Tiberium, ut se extra ordinem audiret, non admiserat ac per servum suum

---

<sup>1)</sup> Mart. XIV, 223. <sup>2)</sup> Ep. II, 18.

<sup>3)</sup> Suspensus est Ernestius legendum esse *excitanda*.

<sup>4)</sup> Suct. de ill. Gramm. 17. <sup>5)</sup> Id. I. I. 7.

in septimum diem distulerat.<sup>1)</sup> Fortasse alii sexto quoque die declamabant vel discipulis copiam declamandi praesentibus parentibus dabant.<sup>2)</sup>

De negligentia et desidia adolescentium inprimis nobilium loquitur Persius;<sup>3)</sup> de puerorum corruptela acerbe Iuvenalis:<sup>4)</sup>

Quum septimus annus

Transierit puero, nondum omni dente renato,  
Barbatus licet admoveas mille inde magistros,  
Hinc totidem, cupiet lauto coenare paratu  
Semper et a magna non degenerare culina.

Parentum hac in re culpa sine dubio erat maxima.<sup>5)</sup>

Feriae erant festis diebus,<sup>6)</sup> qui haud pauci Romae fuerunt. Saturnalibus ferias fuisse testatur Plinius.<sup>7)</sup> Haec celebrabantur primum per unum, postea per plures dies.<sup>8)</sup> Erant quoque feriae tempore Quinquatruum,<sup>9)</sup> quae maiores mense Martio

<sup>1)</sup> Suet. Tib. 32 et Casaubonus ad h. l.

<sup>2)</sup> Iuv. VII, 160.

<sup>3)</sup> Sat. III initio. <sup>4)</sup> Sat. XIV, 10. <sup>5)</sup> Quint. I, 2, 6—8.

<sup>6)</sup> Non. p. 91 v. lusus. Utri magis sunt pueri? hi pusilli nigri, qui spectant nundinas, ut magister dimittat lusum (h. e. ludum.) <sup>7)</sup> Ep. VIII, 7.

<sup>8)</sup> Macrob. Sat. I, 10. Probasse nos aestimo, Saturnalia uno tantum die, id est quarto decimo Kalendas, (Ianuarias) solita celebrari: sed post in triduum propagata.

<sup>9)</sup> Varro L. L. 6, 3, § 14.

per quinque dies, minores mense Iunio per unum diem celebrabantur. <sup>1)</sup> Eas tangit Horatius: <sup>2)</sup>

Ac potius, puer ut festis Quinquatribus olim,  
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim. <sup>3)</sup>

Locus Martialis <sup>4)</sup>:

Albae leone flammeo calent luces  
Tostamque fervens Iulius coquit messem.  
Cirrata loris horridis Scythae pellis,  
Qua vapulavit Marsyas Celaenaeus,  
Ferulaeque tristes, sceptrum paedagogorum,  
Cessent et Idus dormiant in Octobres:  
Aestate pueri si valent, satis discunt.

eo ducit, ut statuamus in scholis, ubi elementa docerentur, per quatuor menses ferias fuisse, nempe a mense Iulio ad mensem Octobrem, cuius rei causa fortasse in aëris temperie, mensibus illis pueris do-

---

<sup>1)</sup> Tertull. de Idol. 10. Flaminicae et aediles sacrificant Cereri, schola honoratur feriis. Idem fit idoli natali (natalis Minervae d. 19 Mart.) Symm. V, 85. Nempe Minervae tibi solemne de scholis notum est, ut fere memores sumus etiam procedente aevo puerilium feriarum.

<sup>2)</sup> Epist. II, 2, 197.

<sup>3)</sup> Apparet ex his ferias pergratas fuisse discipulis, unde coniecit Rein, (Becker-Gallus II, 89) ferias raras fuisse in scholis superioris ordinis nec per quatuor menses eas fuisse clausas.

<sup>4)</sup> X, 62.



cendis molesta, quaerenda est. <sup>1)</sup> Locum Horatii iam allatum :

Ibant octonis referentes Idibus aera.

Hermannus sic interpretatus est, ut inde quoque appareat, per quatuor menses ferias fuisse discipulosque octonis Idibus reliquis i. e. quoque mense, quo docerentur in schola, aera i. e. parvam mercedem attulisse. <sup>2)</sup>

Sed ab Horatio depingi scholam inferioris ordinis, indicant et praecedentia et ea, quae sequuntur, nam quo magis extollat patris munificentiam, scholae Venusinae, quo pueri nullo comitante custode ipsi loculos tabulamque ferentes ibant vilemque mercedem solvebant, opponit scholas, quales Romae erant, quo Iuvenalis aetate eum, qui adhuc uno asse partam coleret Minervam, tamen vernula custos angustae capsae sequebatur <sup>3)</sup>, ubi igitur co-

<sup>1)</sup> Bernhardy (R. L. G. p. 48) monet etiamnum in Italia quatuor menses ferias durare.

<sup>2)</sup> Eodem sensu vox *aera* occurrit apud Iuvenalem (VII, 215 sqq.):

Quis gremio Enceladi doctique Palaemonis affert,  
Quantum grammaticus meruit labor? et tamen ex hoc,  
Quodeunque est, — minus est autem, quam rhetoris *aera* —  
Discipuli custos praemordet ἀνοιονόητος.

<sup>3)</sup> X, 117. cf. X, 130 sqq.

Quem pater ardentis massae fuligine lippus  
A carbone et forcipibus gladiosque parante  
Incude et luteo Vulcano ad rhetora misit,

mitatus quoque suos requirebat sumptus, quo non opus erat in urbe natali. Hinc verisimile est, scholam, quam spectat Martialis, eiusdem fuisse ordinis, atque scholam Venusinam, nec quidquam obstat sententiae Hermannianae, quacum quae pugnare videntur, facile referri possunt ad scholas superioris ordinis. Alii aliam loci interpretationem protulerunt. Iahnus de usurae computatione cogitavit, postea vero, quum animadverteret vim distributivam vocis sic interire, priorem sententiam mutavit.<sup>1)</sup> Baiterus *octonis Idibus* explicat de Idibus Octobribus, Rauchensteinius de omnibus Idibus, quia octo dies sunt inter Idus et Nonas, ita ut ex huius sententia merces quoque mense, ex illius vero semel tantum quotannis solveretur.<sup>2)</sup> Aliam lectionem in scholis proposuit clar. Karsten Acronis vestigium secutus, quam si probamus, omnis cessat de loci interpretatione disputatio. Est autem haec:

Ibant octonos referentes Idibus aeris

Octo asses quoque mense solvendi efficiunt sane exiguam mercedem, sed multos praeceptores exiguos tantum fructus e labore percepisse, aliunde quoque intelligitur.

---

<sup>1)</sup> Primum sic vertit: *Geldposten von oder über achttägige Iden eintragend; tum In allen acht Monaten ihres Schuljahrs d. h. Jahr aus Jahr ein Geldrechnungen machend.*

<sup>2)</sup> Cf. Ritter (Hor. Sat. et Epist. ad cod. saec. noni decimique exact.) ad hunc locum.

Ante Vespasianum respublica ipsa mercedi solvendae se non immiscuit, de qua re posterioribus demum temporibus certi quid constitutum est.<sup>1)</sup> Haec igitur prioribus temporibus ex variis rebus pendebat. Periti praeceptores magnas opes sibi poterant parare. Verrius Flaccus ab Augusto nepotibus praeceptor electus, in Palatium cum tota schola transiit docuitque in atrio Catilinae domus, quae pars Palatii tunc erat, et sestertia centena in annum accepit, addita tamen ea conditione, ut ne quem discipulum posthac reciperet.<sup>2)</sup> Sex. Clodio rhetori duo milia iugerum campi Leontini immunia merces institutionis assignabantur.<sup>3)</sup> Q. Remmius Palaemon e schola quadringena annua accepit.<sup>4)</sup> Quin Iunius Otho, qui literarium ludum exercuerat, Seiani potentia senator factus est.<sup>5)</sup> Au-

---

<sup>1)</sup> Ex edicto Diocletiani a. 301 de pretiis rerum venalium, quod edidit Mommsen, (Berichten der K. S. Ges. der Wiss. phil.-hist. Cl. 1851) *paedagogus* in singulis pueris *menstruos denarios quanquaginta* accipit, quod ex Mommseni computatione convenit fere cum duobus florenis nostris et parte dimidia; *magister institutor literarum* totidem; *calculator* septuaginta quinque; *notarius* totidem; *librarius* sive *antiquarius* quinquaginta; *grammaticus* (Graecus sive Latinus) et *geometres* ducentos; *orator* sive *sofista* ducentos quinquaginta; *architectus* centum.

<sup>2)</sup> Suet. de ill. Gramm. 17. <sup>3)</sup> Cic. Phil. II, 17, 43.

<sup>4)</sup> Suet. de ill. Gramm. 9.

<sup>5)</sup> Tac. Ann. III, 66. — Malis artibus causidicos immensam pecuniae vim sibi comparare potuisse docet exemplum Marcelli

sonius de grandi mercede, quam Rhetor ipsius adhuc tempore accipiebat, loquitur.<sup>1)</sup> Quintiliano a Vespasiano data sunt centena annua; alii rhetores duo tantum sestertia accipiebant, ut docet Iuvenalis:<sup>2)</sup>

Hos inter sumptus sestertia Quintiliano,<sup>3)</sup>  
Ut multum, duo sufficient.

Ingens sane discrimen, cuius excogitari vix potest probabilis causa. Fuerunt quidem in rhetoribus, qui mercedem acciperent a parentibus nimis avaris, quique parvum docerent discipulorum numerum, sed ne sic quidem res mihi satis perspicua videtur. Non tantum imperiti praeceptores verum etiam bonae famae doctores saepe cum inopia conflictabantur. Sic Valerius Cato, qui visus erat peridoneus praeceptor maxime ad poëticam tendentibus, vixit ad extremam senectam in summa pauperie et paene inopia abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat,<sup>4)</sup> et C. Iulius Hyginus, Augusti libertus, familiarissimus Ovidio poëtae et C. Licinio consulari historico, teste hoc viro,

---

Eprii, qui ter milies centena milia HS sibi comparaverat, quique ex una Thraseae Paeti accusatione quinquagies centena milia HS acquisiverat. Verum erant hae mercedes extraordinariae.

<sup>1)</sup> Profess. XVII, 10. <sup>2)</sup> Sat. VII, 186.

<sup>3)</sup> Quintilianus tanquam celeberrimus unus poni pro omnibus rhetoribus videtur. Vid. Heinrichii ad h. l. comm.

<sup>4)</sup> Suet. de ill. Gramm. 7.

admodum pauper decessit et liberalitate eius quoad vixit sustentatus.<sup>1)</sup> Orbilius quoque docuit maiore fama quam emolumento, namque iam persenex pauperem se et habitare sub tegulis quodam scripto fatetur.<sup>2)</sup> Non mirum, literatores discipulos suos, quo mercedem penderent, magis dilexisse.<sup>3)</sup> Hinc constat, praeceptores saepe e liberalitate parentum pependisse; poterant etiam de mercede pacisci.<sup>4)</sup> Quod tamen M. Antonius Gniphocomi facillime natura praeditus nunquam fecit, qui sic ex discentium liberalitate plura consecutus est.<sup>5)</sup> Merces Minerval etiam dicebatur.<sup>6)</sup>

Macrobius, ut probet Martium mensem quondam primum fuisse anni, „hoc mense,” ait „mercedes exsolvebant magistris, quas completus annus deberi fecit.”<sup>7)</sup> Semel igitur per annum stipendia solvebantur a nonnullis.<sup>8)</sup>

<sup>1)</sup> Id. 20. <sup>2)</sup> Id. 9. <sup>3)</sup> Fronto ed. Rom. (1846) p. 113.

<sup>4)</sup> Lucian. Hermot. 80. Is, dum reposit ab aliquo discipulorum mercedem, indignabatur dicens ipsum excessisse diem praestitutum praestando debito, quod solutum iam ab eo oportuisset sexdecim diebus ante, nempe pridie Kalendas illius mensis: ita quippe convenisse. <sup>5)</sup> Suet. de ill. Gramm. 7.

<sup>6)</sup> Varro de Re Rust. III, 2, 13. Axius: Merula mi, inquit, recipe me, quaeso, discipulum villaticae pastionis. Ille, quin simulac promiseris Minerval, incipiam, inquit.

<sup>7)</sup> Sat. I, 12, 7.

<sup>8)</sup> Iuv. VII, 242.

quum se verterit annus,  
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

Loquitur quoque de eodem tempore Iuvenalis <sup>1)</sup>  
 simulque indicat, magistros lectiones instaurasse  
 post Quinquatrus:

Eloquium, aut famam Demosthenis, aut Ciceronis  
 Incipit optare et totis Quinquatribus optat,  
 Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam; <sup>2)</sup>

pariter Ovidius: <sup>3)</sup>

Nec vos turba Deam censu fraudata magistri  
 Spernite, discipulos attrahit illa novos.

Mos quoque erat dona dare certis diebus, quae  
 commemorat Hieronymus, <sup>4)</sup> Kalendariam strenam  
 et Saturnalitiā sportulam et Minervale munus.  
 Kalendariae strenae dabantur primo mensis Ianuarii  
 die; Minervale munus tempore Quinquatruum. Ter-  
 tullianus <sup>5)</sup> quoque ludimagistro dicit solemnia  
 festaque deorum observanda esse, ut quibus vecti-  
 galia sua suppetant. „Ipsam” ait „primam novi  
 discipuli stipem Minervae et honori et nomini con-

<sup>1)</sup> X, 114 sqq.

<sup>2)</sup> Intelligendum hoc est de Minervali a novo quoque discipulo  
 solvendo, quo pertinent verba Ovidii (Fast. III, 815).

Pallada nunc pueri teneraeque ornate puellae,

Qui bene placarit Pallada, doctus erit.

<sup>3)</sup> Fast. III, 830.

<sup>4)</sup> Comm. in Ep. ad Ephesios c. 6. H. Opp. ed. Bened.  
 Parisiis 1706, vol. IV, p. 396.

<sup>5)</sup> De Idolol. 10.

secrat: — etiam strenae captandae et Septimontium et Brumae et Carae Cognationis honoraria exigenda omnia.”<sup>1)</sup> Variam igitur variorum praeceptorum fuisse fortunam dicta probant; vulgo tamen illi ea fuisse videntur conditione, cui nemo invideret.<sup>2)</sup> Docet hoc multis locis in primis Iuvenalis,<sup>3)</sup> quo iudice res nulla minoris patri constat quam filius,<sup>4)</sup> qui idem mercedem eorum lautissimam summulam memorat, qua vilis tessera frumenti venit.<sup>5)</sup> Accedebat, quod parentes ex alia schola in aliam mittebant discipulos, ut quam minimum pretium solverent.<sup>6)</sup>

Hinc non mirum est, Orbilium edidisse librum, cui titulus *περιαλγής*,<sup>7)</sup> querelas continentem de iniuriis, quas professores negligentia aut ambitione parentum acciperent.

<sup>1)</sup> Septimontium celebrabatur mense Dec.; Bruma i. e. Saturnalia XVI Kal. Ian.; Cara Cognatio vel Charistia VIII. Kal. Martias. Cf. Becker-Marq. Handb. I, 122 et IV, 444.

<sup>2)</sup> Conditionem eorum acute descripsisse mihi videtur Naudet (l. l.) his verbis: „les plus habiles n'échappèrent pas toujours à la misère; les plus heureux n'arrivaient point à l'opulence.”

<sup>3)</sup> VII, 156 sq. 216, 288.

<sup>4)</sup> VII, 132. <sup>5)</sup> VII, 173. <sup>6)</sup> Id. VII, 175.

<sup>7)</sup> Alii *perialogus*, alii *αἰτιάλογος*, *περὶ ἀγαπῆς*, *περιαντόλογος*, *παιδαγωγός*, *περὶ ἀλόγων*, *περὶ ἀλογίας* aut *περὶ αὐτοῦ λόγος*, operis titulum fuisse coniciunt. *Περιαλγής* Toupii est coniectura, qui respexit Platonis comici fabulam cognominem querelasque continentem de iniuriis, quas Athenienses negligentia et ambitione malorum civium accepissent. vid. Osann ad Suet. de ill. Gramm. 9.

Post graves labores parum otii praeceptorum erat, ut se ipse excoleret; neque ei res suppetebat, unde libros emeret. Non omnibus is erat literarum amor, ut Porcii Latronis instar post continua studia nocturna pallido ore mane scholam intrarent.<sup>1)</sup> Nec miramur, multos ludibrio fuisse discipulis suis. Parum honorifice alloquitur magistrum Martialis: <sup>2)</sup>

Discipulos dimitte tuos. Vis, garrule, quantum Accipis ut clames, accipere ut taceas?

His perpensis, aliquam certe morositatem non valde magistris exprobramus.

De scholarum numero ex hoc potest iudicari, quod aliquando viginti amplius celebres scholae in urbe fuisse traduntur.<sup>3)</sup> Fortasse apud Romanos quoque in more positum erat, ut ii in primis, qui prima elementa docerent, aetate demum proveciores et iam variam fortunam experti id susciperent munus, quod animi hilaritati saepe non favet. Orbilius Pupillus apparitor fuerat; corniculo tum equo meruerat functusque militia studia repetierat, quae iam inde a puero non leviter attigerat: ac professus diu in patria, quinquagesimo demum aetatis anno Romam transiit.<sup>4)</sup>

Multae scholae in extremis urbis partibus fuisse videntur. Horatius <sup>5)</sup> enim librum suum sic alloquitur:

<sup>1)</sup> Plin. Hist. Nat. XX, 57. <sup>2)</sup> IX, 68.

<sup>3)</sup> Suet. de ill. Gramm. 3. <sup>4)</sup> Id. 9. <sup>5)</sup> Ep. I, 20, 17.



Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem  
Occupet extremis in vicis balba senectus.

Unicuique licebat scholam aperire, videnturque illi ipsi, qui ubique libertatem tollebant, in praeceptores non severi fuisse. Staberius Eros <sup>1)</sup> temporibus Sullanis proscriptorum liberos sine mercede ulla in disciplinam recepit, nec videtur Sulla tale quid vetuisse. Q. Caec. Epirota, mortuo C. Gallo, quocum multos annos familiarissime vixerat, publice literas docuit; quamquam minime gratus erat Augusto, qui in gravissimis Galli criminibus necessitudinem posuit cum hoc libertino. <sup>2)</sup> Non tantum pueros et puellas verum adolescentes quoque diu post sumptam togam virilem lectionibus grammaticis in primisque rhetoricis interfuisse supra vidimus. Sunt, qui putent, adolescentes sumpta demum toga virili, scholas rhetorum adiisse, quibus obstat, quod Ovidius <sup>3)</sup> de se deque fratre suo narrat:

Protenus excolimur teneri curaque parentis  
Imus ad insignes Urbis ab arte viros.  
Frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo.  
Interea tacito passu labentibus annis  
Liberior fratri sumta mihiq̄ue toga est.

tum etiam, quod Suetonius <sup>4)</sup> tamquam rem pror-

<sup>1)</sup> Suet. de ill. Gramm. 13. Nomen sic scripsi praeëunte Osanno, quem vide ad h. l. <sup>2)</sup> Id. 16.

<sup>3)</sup> Trist. IV, 10, 15 sqq. et 27 sq. <sup>4)</sup> De ill. Gramm. 16.

sus peculiarem memorat, Q. Caecilium Epirotam scholam aperuisse, sed ita, ut paucis et tantum adolescentibus praeciperet, praetextato nemini, nisi si cuius parenti hoc officium negare non posset. Mores non semper a corruptela tutos fuisse in scholis, quum tota vita corrupta esset, non est, quod miremur. Hinc Plinius <sup>1)</sup> Corelliae Hispullae suadet, ut circumspiciat rhetorem Latinum, cuius scholae severitas, pudor in primis, castitas constet. Aderat enim filio eximia corporis pulchritudo: cui in eo lubrico aetatis custos rectorque quaerendus erat. Quintiliano <sup>2)</sup> non placebat, pueros adolescentibus permixtos sedere, quia non solum carendum esset crimine turpitudinis verum etiam suspicio vitanda.

Probe tenendum est, disciplinam illam, quam Romani acceperant a Graecis, tempore liberae reipublicae paucis tantum placuisse, quia apud permultos Catonis plurimum valebat sententia: „bonum Graecorum literas inspicere non perdiscere;” dicebat enim ille „quandoque ista gens suas literas dabit, omnia corrumpet.” <sup>3)</sup> Cicero <sup>4)</sup> audacius paullo de studiis humanitatis sibi notis et iucundis disputabat, quando oratio non erat habenda in imperita multitudine aut in aliquo conventu agrestium. Multi enim erant, qui omnino Graecas non amarent literas. <sup>5)</sup> Ipsius

<sup>1)</sup> Ep. III, 3. <sup>2)</sup> II, 2, 14.

<sup>3)</sup> Plin. Hist. Nat. XXIX, 1, 14. <sup>4)</sup> Pro Mur. 29, 61.

<sup>5)</sup> Acad. prior. II, 2, 5.

autem semper iudicium fuit, omnia Romanos aut iuvenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent.<sup>1)</sup> Tempus negotiis publicis debitum liberalibus studiis dare civi Romano non licebat. Hinc Cicero, Graecarum disciplinarum amantissimus, studet se apud cives suos quodammodo excusare:<sup>2)</sup> „ut homines labore assiduo et quotidiano assueti, quum tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se aut ad talos aut ad tesseras conferunt aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio ludum: sic illi a negotiis publicis tamquam ab opere aut temporibus exclusi aut voluntate sua feriat, totos se alii ad poëtas, alii ad geometras, alii ad musicos contulerunt, alii etiam, ut dialectici, novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt atque in iis artibus, quae re-pertae sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque aetates suas consumpserunt.” Marius se Graecas literas non didicisse ait, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerint.<sup>3)</sup> Quin M. Cicero senex M. Tullii avus: „nostri homines” ait „similes sunt Syrorum venalium: ut quisque optime Graece scit, ita est nequissimus.”<sup>4)</sup> Ingratus igitur habebatur, qui nimis se tradiderat Graecis disciplinis

---

<sup>1)</sup> Tusc. Disp. I, 1. <sup>2)</sup> De Or. III, 15, 58.

<sup>3)</sup> Sall. Bell. Jug. 85. <sup>4)</sup> De Or. II, 66, 266.

Romani cultus oblitus; hinc Lucilius Scaevolam sic inducit salutantem Albucium, qui se plane Graecum dici vellet: <sup>1)</sup>)

Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,  
Municipem Ponti, Tritanni, centurionum,  
Praeclarorum hominum ac primorum, signiferumque,  
Maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis,  
Id quod maluisti, te, quum ad me accedi', saluto:  
χαῖρ', inquam, Tite: lictores, turma omni', cohorsque,  
χαῖρε, Tite, hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus.

Qua in re Imperatorum tempore magna obtinuit commutatio. Graeca enim lingua tunc quasi instrumentum erat eloquentiae sibi parandae, qua nemo facile carebat honorum cupidus. Cultiores Graeca saepe Latinis immiscebant Graecosque omnibus in rebus imitari studebant. <sup>2)</sup>)

<sup>1)</sup>) De Fin. I, 3. 9. Cf. Bernhardt R. L. G. p. 54 et 55.

<sup>2)</sup>) Hanc stultitiam lepide ridet Iuvenalis VI, 185:

Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla  
Formosam, nisi quae de Tusca Graecula facta est,  
De Sulmonensi mœra Cecropis? Omnia Graece,  
Quum sit turpe magis nostris nescire Latine:  
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,  
Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra?  
Concumbunt Graece. Dones tamen ista puellis:  
Tunc etiam, quam sextus et octogesimus annus  
Pulsat, adhuc toties lascivum interseris illud  
Ζωὴ καὶ ψυχὴ?

Nunquam vero eo res pervenit, ut imperatores et provinciarum praefecti Latinam linguam in publicis orationibus negligere. Tiberius sermone Graeco, quamquam alioqui promptus ac facilis, non tamen usquequaque usus est abstinuitque maxime in senatu.<sup>1)</sup> Et omnino Graecia numquam vim nacta est maximam in universo populo, quod sine dubio magnam partem Romanorum ingenio tribuendum est vitae magis quam cogitationi idoneo; accedit tamen, quod Graecia vigore suo iam destituta Romanos non ea vi et ἐνεργείᾳ arripere potuit, quae propria est florentibus institutis, aliena vero a senescentibus. Progredientibus temporibus magis magisque a studiis Graecis alieni esse coeperunt Romani, sic ut iam Hadriani tempore universus cultus inter paucos lateret viros muneribus publicis vel huic illive disciplinac destinatos.<sup>2)</sup>

Putaverunt nonnulli aedificium in ruderibus Pompeianis, quod vulgo *Curia Isiaca* dicitur, destinatum fuisse scholae publicae. Quo eos duxit locus in aedificio illo editior lapideus et ornatus marginibus eleganter confectis, ante quem alter exstat humilior cuiusque superficies pedibus valde attrita

---

Sic scripsi auctore Heinrichio, quia vulgaris lectio corrupta mihi videtur.

<sup>1)</sup> Suet. Tib. 71. Cf. Plut. Cat. Mai 12.

<sup>2)</sup> De ditiorum Romanorum eo tempore vitae ratione vid. Galenus: „de constit. artis med.“ et „meth. med.“

est. Sed eorum sententiam merito reiecit Overbeck.<sup>1)</sup> Quem enim habuerunt suggestum magistri apparuit ex pedibus nunc quidem remotis nihil fuisse nisi basin statuac iuvenilis, quae loco suo deiecta prope hanc est inventa.

Neque alterum, quod allatum est, argumentum quidquam valet. Inscriptionem dico Latinam anno 1784 repertam: „M. Faecius Suavis, M. Faecius Primogenes scholam de suo.”<sup>2)</sup> Etenim hanc nullo modo constat ad curiam Isiacam pertinere.

Aliud praeterea est aedificium,<sup>3)</sup> ad Orientalem partem fori civilis prope illud, quod Pantheon dicitur, de quo simile quid suspicati sunt, tum ob duas inscriptiones, quae sunt in Albo Chalcidici oppositi, tum quia cum schola Orientalium quodammodo convenit. Efficit conclave satis amplum quadratum pluribus cellis ornatum, quas variis scholae usibus inserviisse nulla probabili causa statuerunt. Denique ibi est latum podium eiusdem generis atque ea, quae sunt in Senaculo et in Chalcidico, ad quod scalis ascenditur, quod certissime probat, aedificium scholae destinatum non fuisse.

---

<sup>1)</sup> Pompeji, I, 135 ed. sec.

<sup>2)</sup> Mommsen I. R. N. N°. 2247.

<sup>3)</sup> Overbeck l. l. p. 67.

## CAPUT VI.

DE STUDIIS QUIBUSDAM AETATIS IUVENILIS,  
QUAE AD CERTUM SCHOLARUM GENUS  
REFERRI NEQUEUNT.

---

Florente Graecia, gymnastica in primis pertinebat ad corpus excolendum atque conformandum, ita ut *εὐρυθμία* in eo appareret, quae quippe propria nota τοῦ καλοῦ in omnibus rebus a Graecis magni fiebat. Postea vero illa a proposito praeclaro aberravit magisque delectationi et ostentationi inservire, quin etiam multis malis ansam praebere coepit. Hanc gymnasticam Romani amore illo τοῦ καλοῦ non imbuti reiecerunt, propterea quod abhorrebant a moribus Romanis exercitationes, quibus nudi interesse solebant iuvenes, qui sic facile depravabantur,')

---

1) Cic. de Rep. IV, 4, Juventutis vero exercitatio quam

praetereaque tempore serioribus negotiis debito abutebantur.<sup>1)</sup>

Tacitus<sup>2)</sup> corrumpi putat iuventutem studiis externis, nempe gymnasiis et otiiis et turpibus amoribus. Luctatores et totam oleo ac luto constantem scientiam e studiis liberalibus expellebat Seneca.<sup>3)</sup> Aliae enim Romanorum erant delectationes. Constat Scipionem et Laelium Caietae et Laurenti vagos litoribus conchulas et umbilicos lectitasse. Scaevola traditur optime pila lusisse; alveo quoque et calculis interdum vacasse, cum bene ac diu iura civium et caerimonias deorum ordinasset.<sup>4)</sup> Pila ludere in primis in deliciis erat Romanis ad summam interdum senectutem. Spurinnae senis vitae rationem describens Plinius narrat:<sup>5)</sup> „movetur pila vehementer et diu: nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute — inde illi post septimum et septuagesi-

---

absurda in gymnasiis! quam levis ephoborum illa militia, quam contrectationes et amores soluti et liberi. Tusc. Disp. IV, 33, 70. Bene Ennius: Flagiti principium est nudare inter civis corpora. Plutarchus (Quaest. Rom. 40) filios in conspectu patrum aut generum vidente socero nudari inhonestum nefasque putavisse tradit Romanos, quibus non ulla res alia magis in causa fuisse videtur, quod Graeci ita emollirentur et in servitutem redigerentur, atque fuere gymnasia et palaestrae.

1) Sen. de brev. vitae 12, 2.

2) Ann. IV, 20. 3) Ep. XIII, 3.

4) Val. Max. VIII, 8, 1, 2. Cf. Cic. pro Arch. 6, 13.

5) Ep. III, 1.



mum annum aurium oculorumque vigor integer: inde agile et vividum corpus solaque ex senectute prudentia." Qualem autem iuvenis sese praestare debeat, ut nomine civis Romani dignus sit, Horatius ostendit multis locis.<sup>1)</sup>

Indignus ergo, qui

nescit equo rudis  
Haerere ingenuus puer,  
Venarique timet, ludere doctior,  
Seu Graeco iubeas trocho  
Seu malis vetita legibus alea.<sup>2)</sup>

Cursus exercitatio valde antiqua erat. Papirium Cursorem iam cursu omnium aetatis suae victorem fuisse dicebant.<sup>3)</sup> Ad exercitationes faciles et leves Seneca refert cursum et saltum vel illum, qui corpus in altum levat, vel illum, qui in longum mittit vel illum, quem saliare aut fullonium dicit.<sup>4)</sup> Modum sane non tenuit hac in re Domitianus, qui cursum instituit puellarum.<sup>5)</sup> Cursum, pugilationem, luctationem, curricula equorum Cicero quoque memorat.<sup>6)</sup> In ludis publicis pugilatio adhuc occurrit tempore Augusti secundum antiquum morem Italicum iuxta pugilationem, quae Graeco more perage-

<sup>1)</sup> Carm. III, 12, 7. Cf. Carm. III, 24, 52 et III, 2, 1—6.

<sup>2)</sup> Carm. III, 24, 54. <sup>3)</sup> Liv. IX, 16, 13. <sup>4)</sup> Ep. II, 3.

<sup>5)</sup> Suet. Dom. 4. <sup>6)</sup> De Leg. II, 15, 38.

batur. <sup>1)</sup> Illae praesertim exercitationes probabantur, quae ad militiam praepararent. <sup>2)</sup> Valde igitur probatae erant exercitationes disci, iaculique iaciendi, <sup>3)</sup> sudem torquendi, equum agitandi, <sup>4)</sup> arma tractandi, <sup>5)</sup> de quibus amplius auctor est Vegetius, qui dicit nulla alia re populum Romanum orbem subegisse terrarum nisi armorum exercitio. Haec vero quippe magis ad castra quam ad educationem pertinentia huc non pertinent.

Peragebantur illae exercitationes in campo Martio vicino Tiberi, in quo iuventus labore peracto sudorem pulveremque dilueret ac lassitudinem cursus natandi labore deponeret. <sup>6)</sup> Quum iam magis magisque Romani militiam detrectarent, corporis exercitationes institutae sunt ad formae dignitatem coloris bonitate tuendam, <sup>7)</sup> vel ad valetudinem promovendam; sic Horatius <sup>8)</sup> iis, quibus somno est opus,

<sup>1)</sup> Suet. Aug. 45.

<sup>2)</sup> Cf. p. 48. Virg. Georg. II, 531.

Corporaque agresti nudant praedura palaestrae.

<sup>3)</sup> Sil. Ital. Pun. XVI, 558.

Tum iaculo petiere decus, spectacula Circi  
Postrema et metae certarunt vincere finem.

<sup>4)</sup> Hor. Carm. I, 8, 6.

Cur neque militaris inter aequales aequitat  
Gallica nec lupatis temperat ora fremis?

<sup>5)</sup> Hor. Sat. II, 2, 13. cf. praeterea Sat. II, 2, 13. A. P. 379. Mart. XIV, 164. Veget. Rei milit. I, 11 et 12—14. III, 4, 10.

<sup>6)</sup> Veget. I, 10. <sup>7)</sup> Cic. de Off. I, 36, 130. <sup>8)</sup> Sat. II, 1.

praecipit, ut ter Tiberim transiret; postea fuerunt etiam praeparatio ad balneum, quod apud Graecos oleo pulverisque abluendo inserviebat. Ditiorebus sua esse coeperunt palaestrae et gymnasia,<sup>1)</sup> quae Cicero frequenter commemorat. Verres<sup>2)</sup> habebat privatam aliquam palaestram; Plinius<sup>3)</sup> gymnasium in villa sua Laurentina habebat, cuius exercitationibus Graeculus magister assistebat; Seneca<sup>4)</sup> progymnasta uno utebatur. Quotopere athletarum gens Romae increverit ex eo apparet, quod illi Xystici vel Herculanei dicti propria sua habebant gymnasia, tabularia, praefectos suos et emolumenta. Cum thermis Neronianis<sup>5)</sup> gymnasium erat coniunctum, in quo senatui et equiti oleum praebat Nero Graeca, ut ait Tacitus<sup>6)</sup>, facilitate. Sic ne hoc quidem gymnasium ad corpus tantum exercen-

<sup>1)</sup> In illis gymnasiis disputabant saepe rhetores et philosophi. Cic. de Orat. I, 13, 56. Etenim, cum illi in dicendo inciderint loci . . . clamabunt, credo, omnia gymnasia atque omnes philosophorum scholae sua haec omnia esse propria.

Plin. Ep. I, 22. Non quidem gymnasia sectatur aut porticus, nec disputationibus longis aliorum otium suumque delectat: sed in toga negotiisque versatur.

<sup>2)</sup> Verr. V, 72, 185.

<sup>3)</sup> Plin. Ep. II, 17. Paneg. Trai. 13.

<sup>4)</sup> Ep. XII, 1.

<sup>5)</sup> Mart. VII, 34.

Quid Nerone peius?

Quid thermis melius Neronianis?

<sup>6)</sup> Tacit. Ann. XIV, 47. Suet. Ner. 12.

dum, verum ad balnei potissimum praeparationem erat exstructum.

Romanis turpe inhonestumque visum est in Circum descendere. <sup>1)</sup> Olympiade CLXXVII (a. 72) Olympiae primus Romanus nomine Gaius victor occurrit *δολίχῳ*. <sup>2)</sup> Attamen Neronis demum aetate turpe esse desiit in ludis publicis de praemio certare. Hic enim in memoriam regni perennitatis <sup>3)</sup> ad morem Graeci certaminis instituit quinquennale certamen Neroniana dictum primus omnium Romae triplex, musicum, gymnicum, equestre. <sup>4)</sup>

Ad militiam de sententia Vegetii <sup>5)</sup> requirebatur iuventus balnearum nescia. Quam ob causam, qui militiae erant destinati, Imperatorum quoque aetate antiquo more corpus exercebant. Sic Alexander Se-

---

<sup>1)</sup> A bonis ergo moribus alienum erat, quod Tiberius et Nero in hippodromis Olympicis victoriam reportabant. Suet. Ner. 24. Dio Cass. LXXII, 20.

<sup>2)</sup> Phot. Bibl. p. 83<sup>b</sup>. 38 Bekk.

<sup>3)</sup> Suet. Ner. 12 et Dio Cass. LX. 21.

<sup>4)</sup> Tacitus (Ann. XIV, 20.) de hoc ludicro severum fert iudicium, qui nulla non mala ex eo orta esse ostendit. — Adversus eos, qui balneis utebantur, Demetrius aliquando gymnasium ingressus orationem habuit, tamquam imbelles et se ipsos inquinantes, inanesque eas esse impensas ostendit. Quibus dictis, quominus statim capite pleteretur, ei profuit, quod cantus suavitate eo die se ipsum superasset Nero. Cantaverat enim in caupona, quae in Gymnasio erat exstructa, subligaculo praecinctus cetera nudus, non secus ac foedissimus quisque cauponum. Philostr. vita Apoll. IV, 42. <sup>5)</sup> I, 2.

verus, a prima pueritia artibus bonis imbutus tam civilibus quam militaribus, ne unum quidem diem sponte sua transire passus est, quo se non et ad literas et ad militiam exerceret. <sup>1)</sup>

Denique hic memoranda sunt pyrrhicha (πυρρῆιχη) et ludus Troiae, quae iuventuti omnino propria sunt.

Pyrrhicha saltatio erat armata puerorum et puellarum <sup>2)</sup>, in qua vestibus versicoloribus amicti, brevi hasta gladioque ornati erant; utraque pars suum habebat praesulem, quemadmodum Salii, qui motus rhythmicos corporum armorumque belli imaginem referentes dirigerent. Caesaris tempore <sup>3)</sup> Asiae Bithyniaeque principum liberi pyrrhicham saltaverunt. Caius pueros, quos ad illam saltationem evocaverat, semel dumtaxat ea saltata, civitate donavit ac dimisit. <sup>4)</sup> Equo etiam pyrrhicha exercebatur, ut ex his Herodiani <sup>5)</sup> apparet vv.; πάν τε τὸ ἵππικὸν τάγμα περιθεῖ κύκλω μετὰ τινος εὐταξίας καὶ ἀνακυκλώσεως πυρρῆιχῶ δρόμῳ καὶ ῥυθμῶ. Ex his igitur apparet, ludum illum Romanis gratum valdeque in honore fuisse.

Ludus Troiae, cuius ante Syllae aetatem mentio non fit, antiquissimus tamen esse putatur. Augustus <sup>6)</sup> frequentissime hunc ludum edidit, prisci deco-

<sup>1)</sup> Lamp. Al. Sev. 3.

<sup>2)</sup> M. Corn. Fronto Epist. I, 4.

<sup>3)</sup> Suet. Caes. 39. <sup>4)</sup> Dio Cass. LX, 7.

<sup>5)</sup> IV, 2, 9 cf. Spart. Hadr. 19.

<sup>6)</sup> Suet. Aug. 43.

rique moris existimans clarae stirpis indolem sic innotescere. Caesar,<sup>1)</sup> Claudius,<sup>2)</sup> Caligula<sup>3)</sup> eodem delectati sunt, qui putabant Iulum Aeneae filium, a quo gens Iulia originem duceret, eum in Italiam induxisse, quam traditionem Virgilius sic descripsit in Aeneide:<sup>4)</sup>

Hunc morem cursus atque hacc certamina primus  
 Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam,  
 Retulit et priscos docuit celebrare Latinos,  
 Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes;  
 Albani docuere suos; hinc maxima porro  
 Accepit Roma, et patrium servavit honorem;  
 Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.

Ceterum vox Troia non ab urbe Troia sed ab antiquo verbo „troare vel truare,” i. e. incitare et flectere, ducenda videtur.<sup>5)</sup>

Nobilissimum hunc ludum fuisse testis est Tacitus. Narrat enim, Claudio circensibus ludis sedente, pueros nobiles equis ludicrum Troiae iniisse, interque eos Britannicum imperatore genitum et L.

<sup>1)</sup> Id. Caes. 39. <sup>2)</sup> Id. Claud. 21.

<sup>3)</sup> Id. Calig. 18. <sup>4)</sup> V, 596 sqq.

<sup>5)</sup> Klausen (Aeneas u. die Penaten) 822. statuit, non tantum vocem „troa” i. e. *circuitio τροχία* et „troius” i. e. *circensis* verum etiam vetustum equitum Romanorum nomen *Trossuli* eiusdem esse originis. Heynius (Excurs V ad Virg. l. l.) hunc ludum ab initio curulem fuisse et ex antiquis decursibus armatorum circa tumulum in exequiis institutis repetendum putat.

Domitium adoptione mox in imperium et cognomentum Neronis adscitum.<sup>1)</sup> Vulgo triginta sex iuvenes ludum Troiae celebrabant, in plures turmas sic distributi, ut pueri iuniores et ii, qui paulo maiores essent, peculiare proelium inirent;<sup>2)</sup> pugna enim maiorum natu cum minoribus iniqua fuisset. Turmarum duces principes iuventutis dicebantur. Pugnantes telis practentis inter se concurrebant; alii impetum evitabant vel alios repellebant, qui equis in fugam conversis ad impetum renovandum prodibant, quae omnia sic erant peragenda, ut peritia eorum in armis tractandis equisque flectendis quam maxime appareret. Propter velocitatem motuum in magno saepe periculo pueri versabantur. Suetonius<sup>3)</sup> tradit, C. Nonium Asprenatem in Troiae ludicro lapsu debilitatum aureo torque ab Augusto donatum esse; hunc tamen mox finem ludi edendi fecisse, Asinio Pollione oratore graviter invidioseque in curia questo Aesernini nepotis sui casum, qui et ipse crus frogerat.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Ann. XI, 11.

<sup>2)</sup> Troiam lusit turma duplex maiorum minorumque puerorum. Suet. Caes. 39. <sup>3)</sup> Aug. 43.

<sup>4)</sup> De ludis puerilibus, qui in primis apud Graecos in usu erant, ut nomina eorum Graeca indicant, vid. Grasberger: *Erziehung und Unterr. im klassischen Alterthum* — I Theil: die leibliche Erziehung bei den Griechen und Römern. 1866, qui in operis parte priore (Die Knabenspiele) quinquaginta duos puerorum ludos descripsit.

Ad Romanorum de canendi saltandique arte sententiam declarandam sexcenties citata sunt Nepotis verba: <sup>1)</sup> „scimus musicen nostris moribus abesse a principis persona, saltare vero etiam in vitiis poni: quae omnia apud Graecos et grata et laude digna ducuntur.” His addere iuvat aliorum scriptorum testimonia. Cantandi enim saltandique studia obscena dicuntur a Seneca. <sup>2)</sup> Ciceroni <sup>3)</sup> saltatio est ministra voluptatis, qui „nemo” ait „fere saltat sobrius, nisi forte insanit;” saltatorem aliquem dicere maledictum putat, „si vere obiicitur, vehementis accusatoris: sin falso, maledici conviciatoris.” <sup>4)</sup> Nudum in convivio saltare <sup>5)</sup> vel palam in foro <sup>6)</sup> ultima censebatur turpido. Vehementer Cicero <sup>7)</sup> increpat Plancum, cum Glaucum saltasset in convivio. Cantabant et saltabant ii, qui cum aleatoribus, adulteris, impuris, impudicisque versabantur. <sup>8)</sup> Horatius <sup>9)</sup> quoque inter perversa sui temporis studia saltationem refert.

Verumtamen horum scriptorum iudicio licet plurimum tribuatur, cavendum tamen, ne in errorem nos abripi patiamur, quod facile eveniret nobis haud reputantibus, in ipsis Romanis iam mature non defuisse videri, quibus paulo lenior de eadem re pla-

<sup>1)</sup> Epam. 1. <sup>2)</sup> Praef. Contr. I. <sup>3)</sup> De off. I, 42, 150.

<sup>4)</sup> Pro Mur. 6, 13.

<sup>5)</sup> In Pison. X, 22; pro rege Deiot. IX, 26.

<sup>6)</sup> De off. III, 24, 93. <sup>7)</sup> Vell. Pat. II, 83.

<sup>8)</sup> Cic. in Catil. II, 10, 23. <sup>9)</sup> Carm. III, 6, 21.



ecret sententia. Refert enim Macrobius <sup>1)</sup> inter bellum Punicum secundum et tertium ingenuos non tantum sed etiam filios senatorum in ludum saltatorium comisse, matronas etiam probas saltationem non inhonestam putasse, dummodo non ad artis perfectionem excoleretur. Citat porro verba Sallustii: psallere, saltare elegantius, quam necesse est probae, qui Semproniam reprehendit, non quod saltare, sed quod optime scierit. Denique haec addit: „nobis vero filios et, quod dictu refas est, filias quoque virgines inter studia numerasse saltandi meditationem testis est Scipio Africanus Aemilianus.” Sequuntur verba Scipionis narrantis se esse ductum in ludum saltatorium, in quo viderit quinquaginta amplius pueros et puellas saltantes, in quibus puerum bullatum.

Quod hinc colligitur, non omnem saltationem a Romanis improbatam fuisse, id aliunde etiam apparet. Nam primum quidem frequens mentio fit saltationum in cultu deorum, quo Virginum primae puerique claris patribus orti adhibebantur. <sup>2)</sup> Quae nec veteribus Romanis erant dedecori, quod ut probet Quintilianus sacerdotum nomine ac religione durare dicit ad suum tempus saltationem. Tradit etiam, usum saltandi sine reprehensione ad suam aetatem descendisse in oratore formando, cui, Cicerone auctore, conciliare deberet laterum inclinationem fortem ac

---

<sup>1)</sup> Sat. III, 14, 4. <sup>2)</sup> Hor. IV, 6, 31. Cf. Carmen sec.

virilem. Dicit tamen sibi non placere ultra pueriles annos, nec in his ipsis diu, saltationem retinere, quum nolit gestum oratoris componi ad similitudinem saltationis sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, unde id non agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequeretur. <sup>1)</sup> Tum inter epulas saltationes rusticae erant usitatae, quae cum bonis moribus non pugnabant. <sup>2)</sup> Erant igitur artificiosi et lascivi saltandi modi, Graecis usitati, honestioribus Romanis inuisi. Hinc non mirum est, Augusti demum aetate Romanum saltandi magistrum exstitisse; tunc enim, teste Plinio, <sup>3)</sup> Stephanus primus togatus saltare instituit.

Quemadmodum saltatio, ita musica ad antiquum deorum cultum pertinet. In supplicationibus, quae more Graeco agebantur, ter novem virgines canebant carmen, quale Livio teste confecerat Livius Andronicus. <sup>4)</sup> Laudes Apollinis et Dianae pueri puellaeque canebant, quos Horatius <sup>5)</sup> alloquitur:

Dianam tenerae dicite virgines,  
Intonsum pueri dicite Cynthium  
Latonamque supremo  
Dilectam penitus Iovi.

Aliis quoque sollemnibus huiusmodi chori aderant.

<sup>1)</sup> I, 11, 18 sq. <sup>2)</sup> Serv. ad Virg. Buc. V, 73.

<sup>3)</sup> Hist. Nat. VII, 48 § 159. <sup>4)</sup> XXVII, 37.

<sup>5)</sup> Hor. Carm. I, 211, sqq.

Sic auctor est Suetonius,<sup>1)</sup> clypeum aureum decretum esse Caligulae, quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, Senatu prosequente, nobilibusque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum eius canentibus. Quintilianus ad τὴν ἔγκυκλον παιδείαν musicen quoque refert, quam valde utilem esse statuit futuro oratori; exemplo affert C. Gracehum, „cui contionanti consistens post eum musicus fistula, quam tonarion vocant, modos, quibus deberet intendi, monstrabat.”<sup>2)</sup> Reii- cit vero musicen in scenis effeminatam et impudicis modis fractam, eam tantum commendans, qua laudes fortium canebantur, quaque ipsi fortes canebant, nec psalteria et spadicæ etiam virginibus probis recusanda sed cognitionem rationis, quæ ad movendos leniendosque affectus plurimum valet.<sup>3)</sup>

Qui quam maxime vocem excolere cupiebant, adhibebant phonascum sive magistrum cantandi et declamandi. Augustus phonasco assidue operam dabat<sup>4)</sup> et Nero, qui præsertim voce excellere cupiebat, nihil serio iocove egit nisi astante phonasco, qui moneret, parceret arteriis ac sudarium ad os applicaret.<sup>5)</sup> Hoc munere Tigellius et Demetrius,

<sup>1)</sup> Calig. 16. <sup>2)</sup> I, 10, 27.

<sup>3)</sup> I, 10, 31. — Sen. Ep. XIII, 3. Doces me, quomodo inter se acutæ ac graves voces consonent, quomodo nervorum disparem reddentium sonum fiat concordia. . . . Monstras mihi, qui sint modi flebiles.

<sup>4)</sup> Suet. in vita 84. <sup>5)</sup> Id. in vita 25.

quos Horatius memorat, in puellarum scholis functi esse videntur. <sup>1)</sup> Oratori, iudice Quintiliano, phonasco opus non erat. <sup>2)</sup> Sic musice quoque artibus finibus erat circumscripta, nec unquam eo pervenit apud Romanos honoris et dignitatis, ut eius cultores bonae famae prospicientes studium suum non quodammodo occultarent. Alexander Severus, teste Lampridio, <sup>3)</sup> cantabat nobiliter, sed nunquam aliis nisi pueris suis testibus. Lyra, tibia, organo canebat: tuba etiam, quod imperator numquam ostenderat.

Vidimus ergo, usum utriusque artis facile apud Romanos in abusum transiisse, quia propriam illarum naturam non perspexerunt, quod vel maxime ostendunt verba Quintiliani: de musices usu in oratore formando disputantis. <sup>4)</sup>

„In summo” ait Cicero „apud Graccos honore geometria fuit . . . . At nos metiendi ratiocinandique utilitate huius artis terminavimus modum. <sup>5)</sup> Quintilianus vero iudicat, <sup>6)</sup> nullo modo sine geometria esse posse oratorem, nam agitari animos et acui ingenia et celeritatem percipiendi inde venire vulgaris erat opinio, „nec sine causa” ait „summi viri impensam huic scientiae operam dederunt.” De ratione vero

<sup>1)</sup> Serm. I, 10, 90. <sup>2)</sup> XI, 3, 19.

<sup>3)</sup> In vita 27. Cf. Suet. Tit. 3.

<sup>4)</sup> Vid. Polke. „Num qua fuerit apud Romanos ars gymnastica.” Gleiwitz 1863: Jahresbericht. Cf. supra, p. 49. N<sup>o</sup>. 3.

<sup>5)</sup> Cic. Tusc. Disp. I, 2, 5.

<sup>6)</sup> I, 10, 34.

geometriam docendi nihil dicit. Prorsus aliud de ea Senecae est iudicium: <sup>1)</sup> „metiri me geometres docet latifundia . . . . numerare docet me arithmetica et avaritiae commodat digitos . . . . quid mihi prodest scire agellum in partes dividere . . . . colligere subtiliter pedes iugeri et comprehendere etiam, si quid decempedam effugit? . . . . O egregiam artem: scis rotunda metiri; in quadratum redigis quamcunque acceperis formam; intervalla siderum dicis; nihil est, quod in mensuram tuam non cadat: si artifex es, metire hominis animum . . . . Scis, quae recta sit linea: quid tibi prodest, si, quid in vita rectum sit, ignoras? Venio nunc ad illum, qui coelestium notitia gloriatur . . . . Hoc scire quid proderit?”

Licet autem nemo, qui omnibus numeris excultus esse vellet, geometriam negligere posset, <sup>2)</sup> nulla tamen mentio fit librorum, in quibus de hac arte sit expositum. Mathematici illi, de quibus saepe sermo est tempore imperatorum, genus erant hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod semper vetabatur et retinebatur. <sup>3)</sup> Exercebant enim non

---

<sup>1)</sup> Ep. XIII, 3.

<sup>2)</sup> Dial. de Or. 30. In libris Ciceronis deprehendere licet non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius artis ingenuae scientiam ei defuisse.

<sup>3)</sup> Tac. Hist. I, 22. — Ann. II, 32: facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatus consulta; quorum e numero L. Pituanus saxo deiectus est, in P. Marcium consules extra portam Esquilinam, cum classicum canere iussissent, more

legitimam scientiam sed astrologiam colebant, cui quamvis et Tiberius et Vespasianus <sup>1)</sup> operam darent, tamen ille tam astrologos quam magos necavit, hic eos iussit urbe excedere.

Geographiae locum fuisse in scholis, de posterioribus saltem temporibus satis constat. <sup>2)</sup> Sic Propertius: <sup>3)</sup>

Cogor et e tabula pictos ediscere mundos.

Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,  
 Quot sine aqua Parthus millia currat eques,  
 Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,  
 Ventus in Italiam qui bene vela ferat.

Eumenius <sup>4)</sup> etiam, Diocletiani aequalis, de schola Maeniana, quae erat Augustoduni: „videat praeterea in illis porticibus iuventus et quotidie spectet omnes terras et cuncta maria et quidquid invictissimi principes urbium, gentium, nationum devinciunt. Siquidem illic — instruendae pueritiae causa,

---

prisco advertere. Ann. XII, 52. De mathematicis Italia pellendis factum senatus consultum atrox et irritum.

<sup>1)</sup> Dio Cass. LVII, 15 et LXVI, 9.

<sup>2)</sup> Vid. hac de re Bernhardy: die Römische Geographie und Statistik. R. L. G. p. 721. Apud Varronem (de R. R. I, 2) occurrunt sermones de geographia.

<sup>3)</sup> Eleg. IV, 3, 35.

<sup>4)</sup> Pro instaur. schol. Augustodun. 20. Panegy. vet. ed. Arntz. I, 173.

quo manifestius oculis discerentur, quae difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spatia, intervalla descripta sunt, quidquid ubique fluminum oritur et conditur, quacunque se litorum sinus flectunt, qua vel ambitu cingit orbem vel impetu Oceanus." Teste Dione Cassio <sup>1)</sup> Metius Pomposianus τὴν οἰκουμένην ἐν τοῖς τοῦ κοιτῶνος τοίχοις εἶχεν ἐγγεγραμμένην.

Huiusmodi tabulae pictae, sub Imperatoribus late per imperium Romanum dispersae, originem duxisse videntur e magna illa orbis terrarum tabula, quam Augustus a. 7. a. a. n. ex Agrippae imperii descriptione conficiendam curavit in Porticu Pollae. <sup>2)</sup> Illae autem quales fuerint, hodieque effici potest ex exemplo earum, quod nomine *Tabulae Peutingerianae* in Bibliotheca Vindobonensi asservatur. <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> LXVII, 12. Cf. Suet. in Dom. 10.

<sup>2)</sup> Mannert, Introd. ad Tab. Peuting., p. 6, „Cuncta declarant seculo quarto adhuc Orbem pictum adhibitum fuisse, e quo in re geographica erudiretur iuventus. Eiusmodi picturas per provincias dispersas primam originem e magna illa porticu Romae exstructa traxisse, vix ac ne vix quidem dubitandum est, in compendium scilicet contractas scholarumque porticibus affixas, sic ut mutationes aevi progressu enatae insererentur subinde, forsitan et verioris locorum situs, quantum fieri poterat, haberetur respectus.

<sup>3)</sup> Tab. Itin. Peut. denuo cum codice Vindob. collata, emendata et nova Conradi Mannerti introductione instructa studio et opera Acad. Lit. Reg. Mon. 1824. Cf. de hac tabula: Erklärung der Peutinger Tafel von E. Paulus, Stuttgart 1866. Vid.

Varronis tempore tabula, in qua Italia erat depicta, iam aderat, et Vitruvius <sup>1)</sup> norat orbem pictum, in quo capita fluminum chorographis picta itemque scripta erant. Geographiae notitia in primis iis necessaria erat, qui mercaturae vel militiae operam dabant, quam etiam in belli duce requirit Vegetius, <sup>2)</sup> qui commemorat temporibus sibi anterioribus solertiores duces itineraria provinciarum . . . non tantum annotata sed etiam picta habuisse.

Studia illa omnia, quae rhetoris institutioni viam munirent, efficiunt orbem illum doctrinae, quem, auctore Quintiliano, Gracci vocabant *ἔγκυκλον παιδείαν*. Habebantur illa inferiora iis, quae dicuntur artes liberales; <sup>3)</sup> quaenam vero ad utrumque ordinem referendae sint artes, non certum est, nam ipsi veteres hac de re dissenserunt. Sic Ulpianus <sup>4)</sup> liberalibus studiis, (*ἐλευθέρια μαθήματα*) rhetoricam, grammaticam, geometricam annumerat, quae, rhetorica excepta, a Quintiliano ad τὴν ἔγκυκλον παιδείαν referuntur. Martianus Capella has enumerat liberales artes: grammaticam (lib. III), dialecticam (lib. IV), rhetoricam (lib. V), geometriam (lib. VI), arithmeti-  
cam (lib. VII), astronomiam (lib. VIII), musicam

---

etiam, ut ab aliis scriptoribus citandis abstinam: Mühlhoff: über die Weltkarte und Chorographie des Kaiser Augustus, Kiel 1856.

<sup>1)</sup> De Archit. VIII, 2, 6. <sup>2)</sup> l. l. III, 6.

<sup>3)</sup> Sen. ep. XIII, 3. <sup>4)</sup> Dig. XIII, 1.



(lib. IX).<sup>1)</sup> Inde a Caesaris aetate variarum artium doctores magnis praemiis Romam alliciebantur. Hic enim liberalium artium doctores, quo libentius et ipsi urbem incolerent, et ceteri appeterent, civitate donavit.<sup>2)</sup> Nec irriti fuerunt eius conatus, ut Strabo<sup>3)</sup> docet: *μάλιστα δ' ἡ Ρώμη δύναται διδάσκειν τὸ πλῆθος τῶν ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως Φιλολόγων. Ταρσέων γὰρ καὶ Ἀλεξανδρέων ἐστὶ μεστή.* Quantopere nobilissimi quoque Romani artium studiis faverent, exemplum docet Luculli, cuius domus erat quasi *ἐστία καὶ πρυτανεῖον Ἑλληνικὸν τοῖς ἀφικνουμένοις εἰς Ῥώμην.*<sup>4)</sup> Vehementer auctam esse Romae Graecorum Latinorumque doctorum multitudinem, praeceptorum, quo imperatores usi sunt, numerus probat. Sic Marcus Aurelius<sup>5)</sup> usus est magistris ad prima elementa Euphorione literatore et Gemino comoedo; musico Androne eodemque geometra; grammaticis Graeco: Alexandro; quotidianis Latinis: Trosione Aprone et Pollione et Eutychio Proculo Siccensi. Oratoribus usus est Graecis: Annio Marco, Caninio Celere et Herode Attico; Latino: Frontone Cornelio. Undecim igitur praecep-

<sup>1)</sup> Sunt hae, quae nomine *Trivii* et *Quadrivii* medio aevo etiam septem enumerabantur artes liberales, quas continent hi versus:

*Gram* loquitur, *Dia* vera docet, *Rhe* verba ministrat,  
*Mus* canit, *Ar* numerat, *Ge* ponderat, *Ast* colit astra.

<sup>2)</sup> Suet. Caes. 42. <sup>3)</sup> XIV, p. 675. C.

<sup>4)</sup> Plut. Luc. 42. <sup>5)</sup> Capit. Marc. 2.

toribus usus est! Verus <sup>1)</sup> audivit Scaurinum grammaticum —, Graccos: Telephum, Hephaestionem, Harpocracionem; rhetores: Apollonium, Celerem Caninium et Herodem Atticum; Latinum: Cornelium Frontonem. Alexander Severus <sup>2)</sup> quoque decem habuit variarum artium praeceptores.

---

<sup>1)</sup> Capit. Ver. 2. <sup>2)</sup> Lamprid. Alex. Sev. 3.

## CAPUT VII.

### TIROCINIUM FORI.

---

Vox tirocinium duplicem habet significationem; indicat enim tempus, quod intererat inter sumptam togam virilem et vitam militarem vel publicam, quod Ciceronis aetate spatium fuit unius anni; indicat etiam id, quo huius anni initium constituebatur, nempe deductionem in forum post sumptam togam virilem. Erat autem toga virilis indicium pubertatis. E Festo discimus puberem etiam vesticipem, impuberem investem dictum esse.<sup>1)</sup> Teste

---

<sup>1)</sup> In voce — Auson. Idyll. IV, 73:

Idem vesticipes motu iam puberis aevi  
Ad mores artesque bonas fandique vigorem  
Produxi.

Maer. Sat. III, 8, 7. Tert. de an. 56. Pall. XI, 14. VIII, 7.

Gellio <sup>1)</sup> arrogari non potest, nisi iam vesticeps, unde apparet vesticipem comitorum fuisse participem, quod Gaius <sup>2)</sup> confirmat dicens: „impuberem apud populum adoptari aliquando prohibitum est.” Iam ipsa vestis permutatio indicat tirocinio (altero sensu) significatum esse, puerum ad virilem transisse aetatem, quo nanciscitur ius legitimi matrimonii ineundi, quocum necessario coniunctum est ius togae virilis sumendae. <sup>3)</sup> Puer enim non potest inire matrimonium veste puerili indutus, nam puella in nuptiis toga pura et tunica recta est induta. Statim post togam sumptam licebat accusare et defendere. Sic M. Cotta eo ipso die, quo togam virilem sumpsit, protinus ut a Capitolio descendit, Cn. Carbonem, a quo pater eius damnatus fuerat, postulavit peractumque reum iudicio adflixit. <sup>4)</sup> Hinc Staturus: <sup>5)</sup>

Quem non corrumpit pubes effrena, novaeque  
Libertas properata togae?

Potest vesticeps munus sacerdotale suscipere, nam P. Cornelius Lentulus Spinther togam virilem accepit simulque augur factus est. <sup>6)</sup>

Quum igitur constet, tirocinium pubertatis fuisse initium, quaeritur, quo anno toga virilis sumpta

<sup>1)</sup> V, 19. <sup>2)</sup> I, 102.

<sup>3)</sup> Rossbach, die röm. Ehe p. 410 sqq.

<sup>4)</sup> Val. Max. V, 4, 4. <sup>5)</sup> Sylv. V, 2, 68.

<sup>6)</sup> Cic. pro Sext. 69, 144.

sit, quae sane quaestio est difficillima. Certe hac in re tempora sunt distinguenda. Scripsit Tubero, Servium Tullium — pueros esse existimasse, qui minores essent annis septendecim, atque inde ab anno septimo decimo — milites scripsisse.<sup>1)</sup> Scipio, qui deinde Africanus Maior audiit, patrem servavit in pugna ad Ticinum nondum septendecim annos natus, qui dicitur praetextatus,<sup>2)</sup> puer,<sup>3)</sup> vixdum annos pubertatis ingressus,<sup>4)</sup> tum primum pubescens.<sup>5)</sup> In moneta est imago equitis longis capillis bullaque ornati cum hac inscriptione: M. LEPIDVS AN. XV. PR. H. O. C. S. i. e. annorum 15 progressus hostem occidit, civem servavit.<sup>6)</sup> Ut bulla probat, erat adhuc praetextatus ille puer. Ex his locis igitur efficiendum videtur, antiquiore tempore pueritiam aetate septendecim annorum exactam fuisse, quae aetas posterioribus temporibus, pubertatis termino maturius constituto, plena dicebatur pubertas et requirebatur in iure. Teste Ulpiano,<sup>7)</sup> praetor in edicto excusavit pueritiam, dum minorem annis decem et septem, qui eos non in totum complevit, prohibet postulare. Debebat etiam is, qui filium adoptabat vel arrogabat, plena pubertate, id est decem et octo

1) Gell. X, 28. 2) Sen. de Ben. III, 33. — Florus II, 6.

3) Silius Ital. IV, 428. 4) Val. Max. V, 4, 2.

5) Liv. XXI, 46.

6) Mommsen, Gesch. des Röm. Münzw. p. 633, 634.

7) Dig. III, 1, 1, § 3.

annis eum praecedere, quia adoptio naturam imitabatur. <sup>1)</sup> Nitebatur igitur ille annorum numerus hac opinione: posse aliquem decimo septimo aetatis anno matrimonium inire et anno post filium habere. Unde colligitur, antiquiore saltem tempore pueros puberes non esse habitos ante decimum septimum aetatis annum peractum, nam matrimonium apud Romanos statim vel mox sequebatur pubertatem, ut quam citissime proles adesset. Hinc quoque lex Popia Poppaea requirebat, ut mulier viginti annos nata liberos peperisset, vir viginti quinque annorum eos procreavisset. Denique aetas septendecim annorum initium fuit vitae militaris. Hinc Livius <sup>2)</sup> hoc peculiare memorat, post pugnam Cannensem delectu edicto iuvenes ab annis septendecim et quosdam praetextatos milites scriptos esse. Tum affert alio loco, <sup>3)</sup> tribunos plebis veniam a Senatu accepisse, ferrent ad populum ut, qui minores septem et decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem et decem annorum aut maiores milites facti essent. Caius Gracchus <sup>4)</sup> *νεώτερον ἑπτὰ ἐτῶν καὶ δέκα μὴ καταλέγεσθαι στρατιώτην* voluit et Cato Maior <sup>5)</sup> ipse dicit *ἑπτακαίδεκα γεγονώς ἔτη τὴν πρώτην στρατεύεσθαι στρατείαν*. — Videtur igitur sic statu-

<sup>1)</sup> Instit. I, 11, § 4. Dig. I, 7, 40, § 1.

<sup>2)</sup> XXII, 57. <sup>3)</sup> XXV, 5.

<sup>4)</sup> Plut. in vita 5. <sup>5)</sup> Id. in vita 1.

endum esse: tempore liberae reipublicae, exceptis ultimis temporibus, puberes habebantur, qui septendecim annos impleverant, quod tempus eatenus posterioribus quoque temporibus observatum est, quatenus iurisconsulti plenam pubertatem huic demum aetati tribuerint.

Alia quaestio est, a quo anno ultimis liberae reipublicae temporibus et sub Imperatoribus pubertatis terminus constitutus sit, qua de re iurisconsultorum sententia audienda est. Inter hos autem dissensionem fuisse testatur Quintilianus: „de iure quaeritur, ut apud centumviros — pubertas annis an habitu corporis aestimetur.”<sup>1)</sup> Gaius<sup>2)</sup> quoque: „puberem” ait „Sabinus quidem et Cassius ceterique nostri praeceptores eum esse putant, qui habitu corporis pubertatem ostendit, hoc est, qui generare potest; sed in his, qui pubescere non possunt, quales sunt spadones, eam aetatem esse spectandam, cuius aetatis puberes fiunt; sed diversae scholae auctores annis putant pubertatem aestimandam, id est eum puberem esse existimandum, qui XIII annos explevit.” Pariter Ulpianus:<sup>3)</sup> „puberem autem Cassiani quidem eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes esse apparet, id est, qui generare possit; Proculeiani autem eum, qui quatuordecim annos explevit, verum Prisco visum, eum puberem esse, in quem utrumque concurrat et habitus cor-

<sup>1)</sup> IV, 2, 5. <sup>2)</sup> I, 196. <sup>3)</sup> XI, 28.

poris et numerus annorum." Cui dissensionis Iustinianus finem imponens, constituit, "ut pubertas in masculis post decimum quartum annum completum illico initium acciperet, confirmavitque, ut feminae post duodecimum annum viripotentes esse crederentur." Est haec constitutio anni 529.<sup>1)</sup> Videtur ergo ante illud tempus annus, quo toga virilis daretur, eatenus ex patris arbitrio pependisse, ut tamen certi essent fines, quos qui excederet, vel maturius vel tardius eam dare censeretur. Annotavit Marquardtus aetatem, qua viginti pueri togam virilem acceperant.<sup>2)</sup> Incipit series a M. Tullio Cicerone nato a 106, qui a. 90 i. e. 16<sup>o</sup> aetatis anno togam sumpsit virilem, desinit in Caracalla, cui ea 13 annos nato obtigit. Attamen pertinent haec exempla tantum non omnia ad familiam Imperatorum, qui legibus soluti pro arbitrio suo fere omnibus in rebus

---

<sup>1)</sup> Cod. V, 60, 3. Instit. I, 22, pr. Cf. Dio Cass. LIV, 16, Serv. ad Virg. Ecl. VIII, 34 et ad Aen. VII, 53. De constitutione Iustiniani memorata fuse exposuit Pardessus, adhibitis locis, qui probare videntur iam ante pubertatis terminum legitimum constitutum fuisse (sur les différents rapports sous lesquels l'âge était considéré dans la législation Romaine, Mém. de l'acad. des Inscr. XIII, 1838, p. 266—344). Haec autem suae ille addit disputationi: Il faut donc conclure, qu'il n'y avait point avant le VI<sup>e</sup> siècle, ou du moins très certainement avant le V<sup>e</sup> siècle de loi sur ce point, mais trois opinions distinctes parfaitement exposées par Ulpien. — Cf. Isid. Orig. XI, 2.

<sup>2)</sup> Becker-Marq. I. l. V, 1, 132.



agebant. Fines togae sumendae duodecimum et undevicesimum aetatis annum fuisse, e serie allata effici posset. Rossbachius annum sedecim annotavit tirociniorum, quorum duodecim ad annum decimum quintum nondum peractum, quatuor ad aetatem quindecim annis maiorem pertinent.

Quidquid est, constare videtur non licuisse virilem togam ante decimum quartum annum dare; nam terminus hic postea legibus constitutus est et, qui pueri ante id tempus eam induerunt, maturius hoc fecisse dicuntur. Sic Tacitus<sup>1)</sup> de Nerone 13 annos et 15 dies nato virilem togam accipiente: „virilis toga Neroni maturata” dicit. Britannicus contra patris voluntatem togam non accipiebat, quia nondum quatuordecim annos expleverat vel adhuc impubes erat.<sup>2)</sup> Hinc Nero diem metuens, quo Britannicus quartum decimum aetatis annum expleret, quo igitur virili togae sumendae maturus esset, occulta molitur, pararique venenum iubet.<sup>3)</sup> Sic constitutus fuisse videtur annus, antequam togam virilem dare non licuerit; ultimus vero annus cum militiae initio coniunctus fuerit eo saltem tempore, quo adhuc iuvenes Romani stipendia merebant. Aetas autem militaris annus erat, ut ostendimus, decimus septimus. Quia autem unus annus tirocinio dabatur, sextus decimus annus impletus ultima aetas togae

<sup>1)</sup> Ann. XII, 41. <sup>2)</sup> Suet. Claud. 43.

<sup>3)</sup> Tac. Ann. XIII, 15.

sumendae fuisse videtur. Qui autem post illud tempus virili toga donabatur, sero eam accipiebat. Sic Caligulam, sedecim annos et dimidium natum, praetextatum adhuc fuisse, quippe rem inusitatam, narrat Suetonius.<sup>1)</sup> Neutiquam inter se congruunt, quae dicunt Schol. ad Persium:<sup>2)</sup> „Praetexta iuvenilis est vestis, qua usque ad sextum decimum annum pueri utebantur” et Schol. ad Iuvenalem<sup>3)</sup> „usque ad quintum decimum annum.” Dissentit quidem Rossbachius, qui *vv. usque ad sextum decimum annum* accipit de anno sexto decimo expleto, tum alia usus interpretandi ratione *vv. usque ad quintum decimum annum* de anno quarto decimo expleto intelligit, qua explicatione probata haec primam aetatem togae virilis sumendae, illa ultimam indicare videantur. Veruntamen eius sententiam probare non possumus; non enim licet alio sensu quartum decimum, alio sextum decimum annum accipere. Nobis quidem quartus decimus annus est annus peractus et sic quoque sextus decimus; intercedit igitur spatium duorum annorum. Credimus ergo Schol. ad Persium errare, cui Marquardtus quoque omnem abnegat auctoritatem, quia una Persii aetate nitatur.

Reliquum est, ut de eo videamus loco, quem varii interpretes vario modo explicuerunt; Livii verba<sup>4)</sup> volo iam allata: „delectu edicto iuvenes ab

<sup>1)</sup> Cal. 10. <sup>2)</sup> V, 20.

<sup>3)</sup> X, 99. <sup>4)</sup> XXII, 57.

annis septendecim et quosdam praetextatos scribunt.” Alii enim hoc tantum inde apparere existimant, maiores septendecim annis tunc stipendia meruisse, minores omnes dictos esse praetextatos. Alii contra statuunt verbis: *iuvenes ab annis septendecim* indicari eos, qui sunt in septimo decimo actatis anno, igitur sedecim annis maiores, *praetextatos* vero eos esse, qui essent in anno sexto decimo vel quindecim annis maiores iunioribus non exclusis. Quod si aliunde constaret, eo tempore iam tirocinii annum usitatum fuisse, ultima haec explicatio recte haberet. Quod tamen ex hoc uno loco, qui utramque admittit interpretationem, efficiendum esse non puto. Ceterum ne hoc quidem tempore aetatem in militibus scribendis ita certam fuisse, ut nunquam ab ea recederetur, indicio est C. Gracchi lex de aetate militari. Sub Imperatoribus tirocinii diem magis magisque ex arbitrio uniuscuiusque perpendisse non est quod miremur, quia militia nullam amplius vim habebat ad tempus illud definiendum et iura politica, ipso imperatore omnia constituyente, ad nihilum fere reciderant; accedebat, quod ipsa aevi conditio pubertatem maturabat.

Quo tempore solemnis quoque dies in toga danda prorsus negligebatur. Antiquitus enim toga virilis sumebatur 17<sup>o</sup> Martii die, qui Liberalia dicebatur, de quo sic canit Ovidius: <sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Ovid. Fast. III, 771. Cf. v. 713.

Restat, ut inveniam, quare toga libera detur  
 Luce fere pueris, candidè Bacche, tua;  
 Sive quod ipse puer semper iuvenisque videris  
 Et media est aetas inter utrumque tibi:  
 Seu quia tu pater es, patres sua pignora, natos  
 Commendant curae numinibusque tuis:  
 Sive quod es Liber, vestis quoque libera per te  
 Sumitur et vitae liberioris iter.  
 An quia cum colerent prisci studiosius agros,

— — — — —  
 Rusticus ad ludos populus veniebat in urbem?

In hoc vero nomine explicando Ovidius agit poë-  
 tam, namque origo eius in eo videtur quaerenda,  
 quod Bacchus deus habebatur facultatis procreandi  
 et in natura et in vita humana, quam ob rem iu-  
 venes, qui ad pubertatem pervenerant, illius curae  
 mandabantur. Postea vero, quum homines ab an-  
 tiquo deorum cultu decesserant, Bacchi festum non  
 amplius in tirocinio celebrando observarunt, aliosque  
 dies elegerunt. Nec semper Romae dabatur. Cicero  
 filio Arpini togam puram dedit,<sup>1)</sup> Quinto Attici  
 sororis filio Laodiceae.<sup>2)</sup> Sollemnia orsa esse vi-  
 dentur a sacrificio domestico in ara Larium prae-  
 sentibus gentilibus et clientibus.<sup>3)</sup> Puer deponebat

1) Ep. ad Att. IX, 19, 1. 2) Ib. V, 20, 9.

3) Tertull. de idolol. 16. — Sacrificia fiebant circa officia pri-  
 vatorum et communium solemnitate ut togae purae, ut spon-  
 salium, ut nuptialium.

insignia pueritiae, togam praetextam et bullam.  
Hinc Propertius: <sup>1)</sup>

Mox, ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,  
Matris et ante deos libera sumta toga.

Deos autem poëta intelligit Lares, quibus bullam  
dicatam esse diserte tradit Persius: <sup>2)</sup>

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,  
Bullaque succinctis Laribus donata pendit.

Et haec quidem insignia suspendebantur super  
focum domesticum. Qui mos cohaeret cum consue-  
tudine eorum, qui ad alium vitae statum transeuntes  
eius, quem modo reliquerant, quasi quaedam sym-  
bola deo illi dedicare solebant, cuius sub tutela  
se potissimum vixisse putabant <sup>3)</sup>. Hinc pueri togam  
virilem sumpturi, interdum capillos, quos antea  
aluerant, detonsos in primis Apollini <sup>4)</sup> et virgines  
adultae ea, quibus puellulae luserant, Veneri aut  
Dianae dedicabant, v. c. pupas. <sup>5)</sup>

Puer, qui opportunitate tirocinii indutus erat tu-  
nica recta vel regilla ominis causa <sup>6)</sup>, sumebat tunc

<sup>1)</sup> IV (V) 1, 131. <sup>2)</sup> V, 30.

<sup>3)</sup> Jahn ad Pers. Sat. II, 64—70.

<sup>4)</sup> Iuv. III, 186. Mart. V, 41. IX, 15, 16. XII, 84. Stat.  
Silv. III, 4. Suet. Cal. 10. Caligula uno atque eodem die  
togam sumpsit barbamque posuit.

<sup>5)</sup> Schol. ad Hor. Sat. I, 5, 165. Vid. supra p. 33.

<sup>6)</sup> Plin. H. N. VIII, 48, Festus in V.

togam virilem, quae erat alba sine margine purpureo. <sup>1)</sup> Hinc Catullus: <sup>2)</sup>

Tempore, quo primum vestis mihi tradita pura est,  
Iucundum cum aetas florida ver ageret,  
Multa satis lusi.

Ea audiebat quoque libera, ut Ovidius dicit, propter vitae liberioris iter, quod tunc instabat, quo etiam Plutarchi <sup>3)</sup> redit sententia: ὅτε τῶν προσταττόντων ἀπήλλαξαι, τὸ ἀνδρεῖον ἀπειληφῶς ἱμάτιον. Liberiorem illam vitam post sumptam togam et alii memorant et Persius: <sup>4)</sup>

Cum blandi comites, totaque impune Subura  
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo,  
Cumque iter ambiguum est, et vitae nescius error  
Deducit trepidas ramosa in compita mentes,  
Me tibi supposui. Teneros tu suscipis annos  
Socratico, Cornute, sinu.

Adolescens autem toga pura ornatus in forum ducebatur a patre vel a tutore, quem <sup>5)</sup> comitabantur

---

<sup>1)</sup> Plut. Anton. 71. τὸ ἀπόρφυρον καὶ τέλειον ἱμάτιον — περιτιθείς. Id. Brutus, 14. τὸν εἶδὸν αὐτοῦ τὸ καλούμενον ἀνδρεῖον ἱμάτιον ἀναλαμβάνοντα κατήγον εἰς ἀγοράν.

<sup>2)</sup> LXVIII, 15. <sup>3)</sup> De aud. 1.

<sup>4)</sup> V, 32. Cf. Terent. Andr. I, 25.

<sup>5)</sup> Seneca, Ep. I, 4. Tenes utique memoria, quantum senseris gaudium, cum praetexta posita sumpsisti virilem togam et in forum deductus es. Cf. Suet. Aug. 26.

multi et propinqui et alii ideo invitati, ut praesentia sua rei splendorem augerent. Sic Atilius, togam virilem quum sumpsisset, ibat, ut mos erat, *σὺν πομπῇ Φίλων ἐπὶ θυσίας ἐς τὰ ἱερά.*<sup>1)</sup> Et „Cicero rogati, inquit, infimorum hominum filios, prope de nocte, ex ultima saepe urbe, deductum venire solemus.”<sup>2)</sup>

Propter duos Dionis Cassii locos putes, nomen eius, qui togam virilem sumpserat, tunc relatum esse in tabulas tribuum. Nam altero loco<sup>3)</sup> dicit ille: *Ἀγρίππας ἐς ἐφήβους — ἐσεγράφη*, altero: *Γάλβας — ἐς τοὺς ἐφήβους ἐνεγράφη*, quibuscum comparandum Servii Tullii institutum: *ἔταξεν, ὅσον ἔδει νόμισμα καταφέρειν ὑπὲρ ἐκάστου τοὺς προσήκοντας — εἰς δὲ τὸν τῆς Νεότητος ὑπὲρ τῶν εἰς ἄνδρας ἀρχομένων συντέλειν.*<sup>4)</sup> Quum autem nomen non tantum Liberalibus, verum quovis die et Romae et in municipiis inscriberetur, res, magistratu aliquo praesente, in aedificio quodam peragenda erat.<sup>5)</sup> Quod fortasse in tabulario

<sup>1)</sup> Appian. IV, 30. <sup>2)</sup> Pro Mur. 33, 69.

<sup>3)</sup> LV, 22. <sup>4)</sup> LVI, 29. <sup>5)</sup> Dionys. IV, 15.

<sup>6)</sup> Aedificium, ubi tabulae civium nomina continentis aderant (tabularium), a Cicerone memoratur in urbe Heraclea, quae eo tempore urbs erat foederata (pro Arch. 4, 8.) Cf. de Nat. D. III, 30, 74; pro Rab. 3, 7, ubi fit mentio de computandi tabulis, quae aderant in tabulario; Non. p. 141 v. Horrea, ubi de urbibus sermo esse videtur, „quarum iacent muri, nec ulla horrea, curiaque et tabularia publica.” Huiusmodi tabularia (*ἀρχεῖα*) non tantum in provinciis aderant, verum iam antiquis

tribunorum in Capitolio a ministris eorum factum est, nam tabulae in censu adhibitae probabiliter confectae sunt e tabulis tribuum, in quibus igitur novi cives inscripti esse videntur. Eadem opportunitate fortasse plenum nomen acceperunt, saltem si hoc antea nondum impositum fuerat. Quaecstio tamen haec superest, cur licuerit togam virilem dare in provinciis. Non enim erat res parvi momenti nomina notare in tabulis publicis, quod si semper coniunctum fuerit cum toga virili data, cur Romani permiserint in provinciis facere, quod quovis die Romae fieri poterat, non video. <sup>1)</sup>

Quibus in foro peractis, conferebat se adolescens in Capitolium, ubi sacrificabatur. E Suetonii enim de Claudio verbis: <sup>2)</sup> „togae virilis die — sine solemnī sacrificio lectica in Capitolium latus est” apparet τὰ ἱερὰ, quae memorat Appianus l. l. de Atilio, esse Capitolium. Quod sacrificium fortasse in ara Iuven-tatis in templo Capitolino peractum est, quo iam a Servii tempore iuventutem ingressi sacrificium fe-rebant. <sup>3)</sup>

---

temporibus Romae et quidem *tabularium censorum* ad aedes Nympharum; *tabularium consulum*, cui praeebant quaestores, in acratio Saturni; *tabularium tribunorum et aedilium*, quod in variis locis fuisse memoratur, uti in aedibus Cereris prope Circum, postea in Capitolio.

<sup>1)</sup> Cf. Becker-Marq. l. l. II, 3, 42. <sup>2)</sup> In vita, 2.

<sup>3)</sup> Dionys. III, 69. — Kalendarium Farn. 17 Martio sacrificium memorat Libero in Capitolio (C. I. L. 1, p. 388), quo



Una cum vestimento virili puerum arma accepisse ducitur e monumenti Ancyрани inscriptione: <sup>1)</sup> Equites autem Romani universi principem | iuventutis utr[u]mqu[e] e[or]um parm[is] e[st] hastis argenteis donatum ap | pellaverunt. | Nam quod Caio Caesari nepoti filioque adoptivo Augusti, die tirocinii ab ordine equestri argenteae hastae duae dono datae sunt pariterque fratri Lucio Caesari, hoc eo ducit, ut credamus, alios quoque pueros tirocinii opportunitate arma accepisse. Plinii tempore, qui virilem sumebant togam, solebant totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel singulos dare. <sup>2)</sup> Erat in primis familiae imperatoriae in more positum, ut populum munera darentur. Quod factum est opportunitate tirocinii C. et L. Caesaris; Neronis Germanici filii <sup>3)</sup> et Neronis Imperatoris; omissum vero praeter consuetudinem opportunitate tirocinii Caligulae. <sup>4)</sup> Morem hunc observans: <sup>5)</sup> „Pudentilla de suo quinquaginta milia nummum in populum expunxit ea die, qua Pontianus uxorem duxit et

---

loco Mommsen animadvertit „lex Vespasiani de civitate danda suspensa erat in Capitolio in podio arae gentis Iuliae latere dextro ante signum Liberi patris;” hinc cogitandum videtur de hac ara Liberi.

<sup>1)</sup> Mommsen, Res gestae Div. Aug. ex monum. Ancyran. et Apollon. 1865, p. 32. <sup>2)</sup> Epist. X, 116.

<sup>3)</sup> Mommsen l. l. p. 39. Tac. Ann. III, 29. Suet. Ner. 7.

<sup>4)</sup> Suet. Cal. 10. <sup>5)</sup> Appuleius or. de Magia 88.

hic puerulus toga est involutus." Liberior autem vita adolescenti post sumptam togam virilem instabat; paedagogus removebatur nec amplius alterius regebatur consilio vesticeps, sed sibi ipse tradebatur.<sup>1)</sup> Hinc in iudicium vocatus ab hoc inde tempore facta sua ipse praestare debebat, nam accusatio erat saepe usque a toga pura.<sup>2)</sup> Puberem tunc statim omnia habuisse iura civium iam diximus, quibus tamen postea demum utebatur. „Nobis quidem olim" ait Cicero<sup>3)</sup> „annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus; et ut exercitatione ludoque campestri tunicati uteremur; eademque erat, si statim mereri stipendia coeperamus, castrensis ratio ac militaris. Qua in aetate, nisi qui se ipse sua gravitate et castimonia et quum disciplina domestica, tum etiam naturali quo-

<sup>1)</sup> Paulus v. bulla. Suavissime liberio rem vitam puberum describit Ausonius Idyll. V, 1—11:

Carmina prima tibi cum iam puerilibus annis  
 Traderet assidui permulcens cura magistri,  
 Imbueretque novas aures sensusque sequaces,  
 Ut respondendas docili quoque murmure voces  
 Emendata rudi proferret lingua palato,  
 Addidimus nil triste senes: ne cura monendi  
 Laederet, aut dulces gustus vitia ret amaris.  
 At modo, cum motu vigeas iam puberis aevi,  
 Fortiaque a teneris possis discernere; et ipse  
 Admonitor morumque tibi, fandi que videri:  
 Accipe non praecepta quidem, sed vota precantis,

<sup>2)</sup> Cic. Ep. ad Att. VII, 8, 5. <sup>3)</sup> Pro Coelio 5, 11.

dam bono defenderat, quoquo modo a suis custoditus esset, tamen infamiam veram effugere non poterat. Sed qui prima illa initia aetatis integra atque inviolata praestitisset, de eius fama ac pudicitia, quum is iam se corroboravisset ac vir inter viros esset, nemo loquebatur." Debebat ergo iuvenis per totum annum morum integritate et honorum studiorum amore se commendare honestis in civitate viris, tum exercere se in Campo Martio, ut sic optime paratus stipendia mereret. Q. Hortensius, undeviginti annos natus, primum in foro dixit, qui tamen admodum adolescens orationes habuisse dicitur.<sup>1)</sup>

Iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, deducebatur a patre vel a propinquis ad cum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat,<sup>2)</sup> cui adesset, ubicunque discere aliquid ab eo posset. Cicero a patre ita erat deductus ad Scaevolam sumpta toga virili, ut quoad posset et liceret a senis latere nunquam discederet.<sup>3)</sup> Coelius autem, toga virili accepta, a patre continuo ad Ciceronem erat deductus.<sup>4)</sup> Ius civile discebatur a viris iuris peritis, tum etiam ius dicentem audiebant praetorem, in primis urbanum, cuius iurisdictio latissime patebat. Hinc Cicero iocose de Verre dicit praetore: „dum est, unde ius civile discatur, adolescentes ei

<sup>1)</sup> Cic. Brut. 64, 229 et 88, 301. <sup>2)</sup> Dial. de orat. 34.

<sup>3)</sup> De Amic. 1. <sup>4)</sup> Pro Coelio 4, 9.

in disciplinam tradite." Domus autem iurisconsulti aliquando oraculum fuit totius civitatis. <sup>1)</sup>)

Facillime et in optimam partem cognoscebantur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros, bene consulentes reipublicae, conferebant: quibuscum si frequentes erant, opinionem afferebant populo, eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegissent ad imitandum. <sup>2)</sup>)

Filii agricolarum in domo manebant paterna, donec ad militiam evocabantur. <sup>3)</sup>) Nonnulli tamen nobiliorum filii statim a sumpta toga virili ad militiam se conferebant, ut imperare parendo assuescerent. Quod de Tito Flaminio narrat Plutarchus, <sup>4)</sup>) cuius tempore iuvenes statim in ipso bello artes bellicas addiscere solebant. Nonnullos etiam praetextatos militiae tirocinium peregisse, supra vidimus. <sup>5)</sup>) Tarquinii Prisci filius, ut est in traditione, quatuordecim tantum annos natus militans, accepit praetextam, quam ex eo tempore pueri gerebant <sup>6)</sup>). Aemilii Lepidi, hostem qui interemerat, civem servaverat, in Capitolio statua bullata et in-

<sup>1)</sup> Cic. de Orat. I, 45, 200. <sup>2)</sup> Cic. de off. II, 13, 46.

<sup>3)</sup> De Mario narrat Plutarchus (in vita 3.): *γενομένος γονέων παντάκτισιν ἀδόξων αὐτουργῶν δὲ καὶ πενήτων. — ὁψέ ποτε πόλιν εἶδε καὶ τῶν ἐν πόλει διατριβῶν ἐγεύσατο. τὸν δὲ ἄλλον χρόνον ἐν κόμῃ Κιρραϊάτωνι τῆς Ἀρπίνης δίαιταν εἶχε πρὸς μὲν ἀστεῖον καὶ γλαφυρὸν βίον ἀγροικοτέραν, σώφρονα δὲ καὶ ταῖς πάλαι Ῥωμαίων τροφαῖς ἐοικυῖαν.*

<sup>4)</sup> In vita 1. <sup>5)</sup> Vid. supra p. 174. <sup>6)</sup> Macr. Sat. I, 6, 8.

cincta praetexta senatus consulto erat posita.<sup>1)</sup> De his fortasse valet, quod, Servio teste,<sup>2)</sup> dixit Cicero: ad militiam euntibus dari solitos esse custodes, a quibus primo anno regerentur. Nobiliores autem recipiebantur in contubernium ducis, cui omnibus modis probare se debebant. Liberi erant a gregarii militis muneribus et sic viam sibi muniebant ad dignitatem centurionis; nam in omni disciplina usus apud Romanos optimus habebatur magister. Sic Scipio Africanus patris diligentia non illiberaliter institutus studioque discendi a pueritia incensus, usu tamen et domesticis praeceptis multo magis eruditus erat quam literis.<sup>3)</sup>

Florente libera republica opportunitates non defuisse, quibus aut in re militari aut in rebus politicis civibus suis commendarent se iuvenes moribus et ingenii laudibus insignes, nemo nescit. Qui vero minore erant animi alacritate vel ad maiora non tendentes simpliciore vita rustica laboribusque cum ea coniunctis delectabantur, in praedium rusticum mittebantur, ubi usu ediscerent, iuvante villico, agriculturam rerumque administrationem. Qui quo minus negotia urbana curabant, eo magis excellabant moribus incorruptis, diligentia in primis et parsimonia. Nemo tamen Romanus, qui non plane a maiorum moribus deflexerat, agriculturae prorsus

---

<sup>1)</sup> Val. Max. III, 1, 1. <sup>2)</sup> Ad Aen. V, 546.

<sup>3)</sup> Cic. de Rep. I, 22.

erat ignarus.<sup>1)</sup> Quantae enim sunt vitae rusticae laudes, quas Cicero<sup>2)</sup> Catonem celebrantem inducit, qui agricolarum voluptatibus incredibiliter se delectari dicit, quae nec ulla impediuntur senectute, eique ad sapientis vitam proxime videntur accedere.

Posterioribus quoque temporibus a summis viris vitam rusticam non fuisse contemptam, exemplum docet Antonini Pii, qui diligens erat agriculator,<sup>3)</sup> Diocletiani aliorumque clarorum virorum. Semper Romani dediti fuerunt studiis vitae quotidianae utilibus, e quibus igitur plurimum lucri caperetur nec videtur omittendum, artes ingenuas paucis tantum cordi fuisse. Illorum autem imaginem vere expressit Martialis:<sup>4)</sup>

Cui tradas, Lupe, filium magistro,  
Quaeris sollicitus diu rogasque.  
Omnes grammaticosque rhetorasque  
Devites, moneo: nihil sit illi  
Cum libris Ciceronis aut Maronis.

<sup>1)</sup> Iuv. XIV, 71:

Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,

Si facis, ut patriae sit idoneus, utilis agris,

Utilis et bellorum et pacis rebus agendis.

et Cicero pro Roscio Am. 15, 43: Patres familias — praesertim ex municipiis rusticanis, nonne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime servire et in praediis colendis operae plurimum studiique consumere?

<sup>2)</sup> De Senect. 15, 16. <sup>3)</sup> Iul. Cap. in vita 2.

<sup>4)</sup> V, 56.

Famae Tutilium suae relinquo.  
 Si versus facit, abdicet poëtam:  
 Artes discere vult pecuniosas,  
 Fac discat citharoedus aut choraules,  
 Si duri puer ingeni videtur,  
 Praeconem facias vel architectum.

Parsimoniam saepe in avaritiam transiisse, virtutem post nummos esse habitam, quis nescit?<sup>1)</sup>

Erat enim tunc inter Romanos sanctissima divitiarum maiestas.<sup>2)</sup>

Pauci autem nobiliores, qui literarum amore ducti post tirocinium in studia incumbere pergebant, non amplius discipuli sed auditores erant, sibi quae ipsi libere rhetores et philosophos eligebant, quos audirent. Ovidio, liberiore sumpta toga, fratrique studium, quod ante fuerat, manebat.<sup>3)</sup>

In his autem illi non acquiescebant. Cuius rei probandae causa minime contendere iuvat, eos in Etruscorum literas incubuisse,<sup>4)</sup> sed morem citare

<sup>1)</sup> Iuv. XIV, 207.

Unde habeas, quaerit nemo: sed oportet habere —  
 Hoc monstrant vetulae pueris repentibus assae;  
 Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae.

<sup>2)</sup> Iuv. I, 112. <sup>3)</sup> Trist. IV, 10, 27.

<sup>4)</sup> Dicit quidem Livius (IX, 36) „habeo auctores vulgo tum (a. a. n. 308) Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita Etruscis literis erudiri solitos;” sed et versatur ille in rerum antiquiorum enarratione, et solus illius rei mentionem facit; locus enim Ciceronis (Div. I, 41, 92) „Quocirca bene apud

praestat, veteres adeundi Musarum sedes omniumque maxime urbem illam, quae philosophorum tanquam prytaneum, reliquas orbis terrarum urbes doctrinae fama longe superabat.

Athenae, quas studiosus petierat Ovidius,<sup>1)</sup> Horatio, Romae iam Graeca disciplina exulto, paullo plus artis adiecerunt.<sup>2)</sup> Urbem enim illam adierat, ut posset curvo dignoscere rectum, atque inter silvas Academi quaerere verum. Atticus perturbata civitate idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit.<sup>3)</sup> Cicero, qui e Phaedro Epicureo, Diodoto Stoïco et Philone Academico variorum philosophorum placita perceperat his progressibus non contentus, in Graeciam quoque Asiamque profectus est, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Athenis autem audivit Antiochum Ascalonitam;<sup>4)</sup> Brutus vero Theomnestum Academicum et Cratippum Peripateticum<sup>5)</sup>, quem etiam Ciceronis filius audivit.<sup>6)</sup> Itinera illa non statim, quin nonnunquam diu post sumptam

---

maiores nostros senatus, tum, quum florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum, a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quaestum" alio spectat. Cf. Interpr. ad h. l. in ed. Moseri et, qui eos secutus est, Bakius ad Cic. de Leg. XI. 9. 21.

1) Trist. I, 2, 77. 2) Ep. II, 2, 40 sqq. et 81 sqq.

3) Nep. Att. 2. 4) Plut. Cic. 4.

5) Plut. Brut. 24. 6) De Off. 1, 1.



togam virilem suscepta esse docet Cicero narrans, se Roma abiisse, quum biennium in causis versatus nomen in foro iam celebratum esset.<sup>1)</sup> Insula Rhodus eo tempore in primis eloquentiae studio splendebat, ubi Cicero cum Molone, quem iam Romae audiverat<sup>2)</sup> cumque Posidonio philosopho versatus est.<sup>3)</sup> Insulam dilexit Cassius, in qua disciplinae causa aliquando degerat;<sup>4)</sup> Tiberius autem, teste Suetonio, ibi circa scholas et auditoria professorum assiduus erat.<sup>5)</sup> In Asia tunc prae reliquis omnibus urbibus doctrinae nomine florebat Tarsus, ubi de Strabonis sententia<sup>6)</sup> hominibus tantum erat studium philosophiae ceterarumque ingenuarum artium, ut superaret Athenas et Alexandriam et quamcunque aliam urbem, in qua philosophorum studia exercebantur. Praeterea Smyrna tanquam museum aliquod principem locum tenebat sedesque sophistarum praecipua erat.<sup>7)</sup> Alexandria, Pergamum, Antiochia eodem nomine celebrabantur.

Nec vero silentio hic praetermittenda est Massilia, literarum cultu morumque integritate valde clara, de qua Iustinus<sup>8)</sup> scripsit: „adeo magnus et hominibus et rebus impositus est nitor, ut non Graecia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Graeciam translata videretur.” Huius autem civitatis disciplinam

1) Brut. 91, 314. 2) Ib. 316. 3) Plut. Cic. 4.

4) Dio Cass. XLVII, 33. 5) In vita 11. 6) XIII, 625, 673.

7) Philostr. vitae Soph. I, 21. II, 26. 8) XLIII, 4.

atque gravitatem non solum Graeciae sed cunctis gentibus anteponendam censebat Cicero, <sup>1)</sup> quae quidem optimatum consilio sic gubernaretur, ut omnes eius instituta laudare facilius quam aemulari possent. Honorificentissimum etiam testimonium huic urbi, quam Tacitus <sup>2)</sup> magistram studiorum Graeca comitate et provinciali parcimonia mixtam ac bene compositam dicit, praebet Valerius Maximus; <sup>3)</sup> „Massilienses ad hoc tempus usurpant disciplinae gravitatem prisci moris observantia, caritate populi Romani praecipue conspicui. Eadem civitas severitatis custos acerrima est, nullum aditum in scenam mimis dando, quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus, ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat. Omnibus autem, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiae quaerunt, clausas portas habet et mendacem ac fucosam superstitionem submovendam esse existimans.” <sup>4)</sup>

Reliquum est, ut de philosophiae studio ea moneamus, quae ad nostrum pertinent argumentum. Missos facimus illos Graeculos, de quibus Seneca: <sup>5)</sup> „instituant, disputant, cavillantur, non faciunt ani-

<sup>1)</sup> Pro Flacco 26, 63. <sup>2)</sup> Agric. 4.

<sup>3)</sup> II, 6, 7, cf. Strabo IV, 1, 181. Tac. Ann. IV, 44.

<sup>4)</sup> Cf. Ludov. Geisow. de Massiliensium republica Diss. Bonnensis 1865. — De Gallorum oratorio ingenio, rhetoribus et rhetoricae, Romanorum tempore, scholis egit Carolus Monnard, Bonnae 1848.

<sup>5)</sup> Epist. VII, 2.

mum, quia non habent;” et Gellii<sup>1)</sup> quidam familiaris: „nihil fieri posse indignius neque intolerantius” aiebat „quam quod homines ignari ac desides, operti barba et pallio mores et emolumenta philosophiae in lingua verborumque artes converterent.”<sup>2)</sup> Prorsus alii erant, qui Graeca quidem lingua Romanis vero moribus philosophabantur, quales Sextii, Sotion, Attalus, Fabianus, qui, quamquam nullam fere partem philosophiae omittentes, longe tamen maiorem curam moribus impendebant. His igitur praecipuum erat propositum iuventutem ab illecebris vitiorum abducere et rapere ad honestissima studia<sup>3)</sup>. Quos iam probaverant veteres, qui „ad haec, quae oratorem faciunt,

<sup>1)</sup> Gell. XIII, 8.

<sup>2)</sup> De his recte Naudet l. l. Tous les hommes de bon sens devaient rire de pitié ou murmurer d'indignation, lorsqu'ils entendaient les argumentations absurdes, les misérables arguties de ces prétendus philosophes. Sénèque se rendit l'interprète des réclamations de la saine raison contre ces déplorables abus, dont il cite entre autres cet exemple: Mus syllaba est, mus autem caseum rodit: syllaba ergo caseum rodit (Ep. V, 8.) Il s'écrie alors plein d'une généreuse colère: o pueriles ineptias! in hoc supercilia subduximus? in hoc barbam demisimus? hoc est, quod tristes docemus et pallidi?

<sup>3)</sup> Qualis desideraretur philosophorum illorum oratio, expressit Seneca (Ep. XVI, 5): debebant ergo contra vitia asperere, contra pericula animose, contra fortunam superbe, contra ambitionem contumeliose dicere; luxuriam obiurgare, libidinem traducere, impotentiam frangere; denique habere aliquid oratorie aere, tragice grande, comice exile.

efficienda intelligebant opus esse — ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de iusto ac iniusto disputatur;”<sup>1)</sup> Cicero fatetur se oratorem non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse.<sup>2)</sup> In scholis eorum explicatio quaedam perpetua in usu erat, nomine quidem sed non re, disputatio. Auditor quaestionem ponebat, vel is, qui dissereret, quaestionem eligebat arbitrioque suo explicabat (schola). Inde hic disserere dictus est, et discipuli auditores nominati,<sup>3)</sup> pariter atque hoc in nonnullis rhetorum scholis more receptum fuisse supra vidimus.<sup>4)</sup> Erant, ut verisimile est, duo scholarum genera, quorum alterum discipulos omnis aetatis acciperet, alterum paucos tantum et electos admitteret.<sup>5)</sup> Aderant non solum iuvenes, sed viri vel praetorii et consulares; sic Seneca, sexagenarius fere, Metronactem audiebat.<sup>6)</sup> Adolescentes maxime studiosi, ubi disputatio esset perfecta populusque dimitteretur, apud magistrum manere et cum eo eruditos sermones aut literata colloquia instituere solebant, ut, si quid brevius obscuriusve dictum esset, explicaretur.<sup>7)</sup> Habebant discipuli commentarios: summaria vel breviarum dicta,

---

1) Dial. de Or. 31. 2) Orator. 3, 12.

3) De Finib. II, 1, 1. 4) Contr. IV, 25.

5) Praef. Contr. V, Praef. Exc. Contr. IV, Praef. Contr. III.

6) Sen. Ep. IX, 5.

7) Sen. Ep. XVIII, 5. Gell. N. A. 26.

aut Indices philosophorum, unde memoria reficeretur et lapsa resurgeret.<sup>1)</sup> Qui sapientiae amore vehementius tenebantur, ii vocabantur proficientes, id est, qui profectus ad sapientiam facerent et ad eam composito gradu procederent.<sup>2)</sup>

---

<sup>1)</sup> Sen. Ep. IV, 10. <sup>2)</sup> Id. Ep. IX, 4.

## CAPUT VIII.

### DE CURA AB IMPERATORIBUS IN EDUCATIONEM ET INSTITUTIONEM COLLATA.

---

Quemadmodum Caesar civitatem dedit artium liberalium doctoribus et medicis, qui Romae habitabant aut postea eo se conferrent, <sup>1)</sup> ita his favit quoque Augustus, qui quum aliquando peregrinos omnes urbe expulerat, ipsos illos, quos diximus, exceptit. <sup>2)</sup>

Primum stipendium e fisco Latinis Graecisque Rhetoribus constituit Vespasianus, <sup>3)</sup> annua centena,

---

<sup>1)</sup> Vid. supra p. 170. <sup>2)</sup> Suet. Aug. 42.

<sup>3)</sup> Suet. in vita 18. Quærere cui in mentem veniat, num haec pecunia, a Vespasiano constituta, data primum sit sub Domitiano. Nam Hieronymus ad illum annum, qui in Olymp. CCXVII, 3 sive a. n. 92 incidit, annotat: Quintilianus ex Hispania primus Romae publicam scolam et salarium e fisco

qua pecunia publica Quintilianus donatus Romae scholam publicam habuit.<sup>1)</sup> Sic iam illis temporibus Roma multa habebat, quibus se exteris commendaret. In primis e tempore Augusti peregrini principes movebantur, ut Romam mitterent liberos suos educandos, qui Romanis moribus assuefacti facilius imperio eorum parerent. Herodes e filiis, quos e novem, quas habuit uxores, susceperat, Archelaum et Antipam Romae apud virum privatum educandos curavit.<sup>2)</sup> Pariter Phraätis Parthorum principis filius et Italicus regiae stirpis e gente Cheruscorum Romae educati sunt.<sup>3)</sup>

Tisdem temporibus varia genera munerum ut frumentatio, congiaria, viscerationes, sportulac, pauperioribus dari solita a pessimis praesertim imperatoribus ad plebis captandum favorem sensim extendebantur ad liberos pauperes et qui parentibus

---

accepit et claruit. Cf. Eus. Chron. Canonum quae supersunt ed. Schoene, Berol. 1866, p. 161.

<sup>1)</sup> E verbis Quintiliani in Prooemio lib. I.: „post impetratam studiis meis quietem, quae per viginti annos erudiendis iuvenibus impenderam,” Naudet colligit salarium emeritis quoque datum esse, et tempus illud 20 annorum legibus fuisse constitutum nec arbitrio rhetoris relictum, qua in re comparat res civiles cum rebus militaribus. — Obstare mihi videntur Quintiliani verba (II, 12, 12): nos et praecipendi munus iam pridem deprecati sumus et in foro quoque dicendi, quia honestissimum finem putamus desinere, dum desideramur.

<sup>2)</sup> Iosephus Antiq. Iud. XVII, 1, 3.

<sup>3)</sup> Ann. II, 2. XI, 16. XII, 10.

erant orbatī. Iam Augustus iis e plebe, qui regiones sibi revisenti filios filiasve approbarent, singula nummorum milia pro singulis diviserat.<sup>1)</sup> Ad idem tempus refertur donum T. Helvii Basilīae, qui Atinatibus HS ter centena milia legaverat, ut liberis eorum ex reddito, dum in aetatem pervenirent, frumentum et postea sestertia singula milia darentur.<sup>2)</sup>

Nerva primus puellas puerosque natos parentibus pauperioribus publico sumptu per Italiae oppida ali iussit.<sup>3)</sup> Adest nummus, in quo Imperator, sedens in sella curuli, dextra extensa in puerum puellamque, iuxta quos est mulier; habet praeterea hanc inscriptionem: *Tutela Italiae.*<sup>4)</sup>

Nervae exemplum secutus est Traianus, qui condidit alimentariam institutionem in gratiam ingenuorum, qua de re haec Plinii exstat honorifica mentio:<sup>5)</sup> „Paullo minus, P. C. quinque milia ingenuorum fuerunt, quae liberalitas principis nostri acquisivit, invenit, adscivit. Hi subsidium bellorum, ornamentum pacis, publicis sumptibus aluntur patriamque

<sup>1)</sup> Suet. in vita 46.

<sup>2)</sup> Aurel. Victor XII, 4. Mommsen, I. R. N. n. 4546. Henzen, Tab. Alim. p. 17 et 18.

<sup>3)</sup> Huc fortasse pertinet, quod Ulpianus (fr. XXIV, 28) memorat: Civitatibus omnibus, quae sub imperio populi Romani sunt, legari potest; idque a divo Nerva introductum, postea a senatu, auctore Hadriano, diligentius constitutum est. Henzen, Tab. Alim. p. 10.

<sup>4)</sup> Eckhel, D. N. VI, p. 407 et 425. <sup>5)</sup> Panegyri. c. 28.



non ut patriam tantum, verum ut altricem amare discunt. Ex his castra, ex his tribus replebuntur; ex his quandoque nascentur, quibus alimentis opus non sit." Huc pertinet tabula oblonga, quae a. 1747 duodeviginti millia ab urbe Placentia e terra effossa est hodieque servatur in museo Parmensi, quam primum edidit Maffei.<sup>1)</sup> Traianus mutuas dederat maiores minoresve pecuniae summas iis, qui agros possidebant prope urbem Veleiam in regione montana Placentiae, ut, fundis longe maioris pretii obligatis, ex usuris pecunia quotannis dividenda conferretur.<sup>2)</sup> Praebebantur illa alimenta pueris ad ple-

<sup>1)</sup> Titulus hic est: OBLIGATIO PRAEDIORUM OB HS DECIENS QUADRAGINTA QUATTUOR MILIA, UT EX INDULGENTIA OPTIMI MAXIMIQUE PRINCIPIIS IMP. CAES. NERVAE TRAIANI AUG. GERMANICI DACICI PUERI PUELLAEQUE ALIMENTA ACCIPIANT LEGITIMI N. CCXLV IN SINGULOS H.S. XVI N(*umos*) F(*iunt*) H.S. XLVII XL N(*umi*) LEGITIMAE N(*umero*) XXXIV SING. HS XII N(*umos*) F(*iunt*) HS IV DCCCXCVI SPURIUS I HS CXLIV SPURIA I HS CXX SUMMA HS LIIIC QUAE FIT USURA SORTIS SUPRASCRIBTAE. Mus. Veronense p. 381.

<sup>2)</sup> Caput erat 1044000 HS, usurae pro illis temporibus modicae 52200 HS, quae tempore Traiani valebant idem fere, quod nostris temporibus 3522 Florenorum. (Vid. Becker Gallus I, 228). De hac pecuniae summa 245 legitimi pueri accipiebant quoque mense 16 HS (1.08 Fl.); 34 legitimae puellae quoque mense 12 HS (0.80 Fl.); unus spurius 12 HS quoque mense et una spuria 120 HS quotannis. Apparet ex appendice praeterea constituta esse 3600 HS (243 Fl.) 18 legitimis pueris, uni legitimae puellae. Incidit hoc institutum in annum 104.

nam pubertatem, puellis ad decimum quartum aetatis annum.<sup>1)</sup>

Aliquot annis abhinc in lucem protracta est tabula alimentaria Ligurum Baebianorum eaque pariter Traiani munificentiam testatur.<sup>2)</sup> In aliis quoque locis

Cf. F. A. Wolf, von einer milden stiftung Traians, Berl. 1808, cui praeter laud. Henzen iam accessit Desjardins: de tabulis alimentariis. Parisiis 1854.

<sup>1)</sup> Dig. XXXIV, 1, 14, § 1. Certe si usque ad pubertatem alimenta relinquuntur, si quis exemplum alimentorum, quae dudum pueris et puellis dabantur, velit sequi, sciat, Hadrianum constituisse, ut pueri usque ad decimum octavum, puellae usque ad decimum quartum annum alantur: et hanc formam ab Hadriano datam observandam esse, imperator noster rescripsit. Sed etsi generaliter pubertas non sic definiatur, tamen pietatis intuitu in sola specie alimentorum hoc tempus aetatis esse observandum non est incivile.

<sup>2)</sup> Usurae in ea indicatae in prima columna redeunt ad 3015, in secunda ad 3287, in tertia ad 3743 HS. Inscriptio autem haec est (Henzen l. l. p. 67): *Imp. Caes. NERVA. TRAIANO AUG. Germanico IIII || Q. ARTICULEIO PAETO II eos. || ob liberalitatem optimi MAXIMI PRINCIPIS OBLIGABUNT PRAE ED EA PROPOSITO LIGURES BAEBIANI UNDE EX INDULGENTIA EIUS PUERI PUELLAEQ. ALIMENTA ACCIPIANT.* — Edidit hanc tabulam Garrucci hoc titulo: Monumenta reipublicae Ligurum Baebianorum in Baebiani ruinis aut locis vicinis reperta, cum disquisitionibus in Ἀντίγραφον tabulae aeneae alimentariae reip. eiusdem cura Raphaëlis Garrucci. Romae 1847. — Mommsen I. R. N. 1354. Adest inscriptio Amcrisae in Traiani honorem nomine puerorum puellarumque Ulpianorum (Gruter. Inscr. MLXXXIV, 7) tum Auximi, quae sic se habet: *Imp. Caesari DIVI NER-*

alimenta data esse ab eodem Imperatore testantur Inscriptiones.

Sequebantur hac in re Imperatorem ditiores Romani in gratiam locorum nonnullorum, quorum hoc modo patroni fiebant. Plinius de se scribit: <sup>1)</sup> „Nam pro quingentis milibus nummum, quae in alimenta ingenuorum promiseram, agrum ex meis longe pluris actori publico mancipavi: eundem vectigali imposito recepi, tricena milia annua daturus. Per hoc enim et reipublicae sors in tuto, nec reditus incertus et ager ipse propter id, quod vectigali large supercurrit, semper dominum, a quo exerceatur, inveniet.” Tum Caninio amico auctor est, ut idem faciat. Caelia Macrina in memoriam Marci filii sui Tarricinensibus HS [X] reliquit, ut e reditu eius pecuniae darentur centum pueris alimenta. <sup>2)</sup> Etiam extra Italiam huiusmodi alimenta data esse videntur. <sup>3)</sup>

In lapidibus nummisque breviter huiusmodi instituta sic indicabantur: *tutela Italiae* vel *alimenta Italiae*. <sup>4)</sup> Usuras has curabat pecuniamque distri-

---

VAE F. NERVAE *Traiano Aug. Germanico Dacico* PONTIFICI MAXIMO trib. pot. XII. IMP. VI. COS. V p. p. ob MUNIFICENTIAM SUAM . . . SUBOLEMQUE ITALIAE . . . IT MUNICIPII *Auxunatium decuriones et plebs.* Henzen, l. l. p. 13.

<sup>1)</sup> Ep. VII, 18. <sup>2)</sup> Henzen, l. l. p. 17.

<sup>3)</sup> Henzen l. l. p. 18.

<sup>4)</sup> In arcu triumphali Constantini haec est inscriptio: *Alimenta Italiae: feminarum fecunditati genitorumque spei consuluit pu-*

buebat magistratus urbanus in quaque urbe: *quaestor alimentorum* vel *quaestor pecuniae alimentariae* (arcae alimentariae), quod munus vel coniunctum est cum munere quaestoris urbani vel peculiaris est honor. Procuratores alimentorum ex ordine equestri, qui etiam *ad alimenta*, *ab alimentis* dicebantur singulis praeeerant Italiae regionibus, quibus praefuisse videntur *praefecti alimentariorum*. Tempore M. Aurelii curatores viarum Italiae hoc munere videntur fuisse ornati.<sup>1)</sup> Testatur quidem Capitolinus,<sup>2)</sup> alimentaria compendia, quae novem annorum ex instituto Traiani debebantur, sustulisse Pertinacem,<sup>3)</sup> attamen neque hinc colligendum est, totam illam institutionem ab hoc Imperatore sublatam esse et ex inscriptionibus probari potest, praefectos alimentorum adfuisse ad tempus Diocletiani.<sup>4)</sup>

De nonnullis Traiani successoribus similia narrantur. Hadrianus<sup>5)</sup> pueris ac puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit. Antoninus Pius<sup>6)</sup> puellas alimentarias

---

blicus parens per universam Italiam pueris puellisque Ulpis alimentariis institutis. Bellorius Arc. Aug. 30.

<sup>1)</sup> Hoc nomine audiebant: *curator viarum et praefectus alimentorum Clodiae et cohaerentium*; vel: *curator viarum Tib. Val. et alim.* Grut. p. CCCCXXXIV. 1.

<sup>2)</sup> Pertin. 9. <sup>3)</sup> Henzen, l. l. p. 48.

<sup>4)</sup> Id. p. 49—55. <sup>5)</sup> Spart. in vita 7.

<sup>6)</sup> Ei monumentum fecerunt pueri et puellae alimentarii Cupreses Montani. Henzen, l. l. p. 19.

in honorem uxoris *Faustinianas* instituit. <sup>1)</sup> M. Antoninus philosophus <sup>2)</sup> quum L. Veri cum Lucilla nuptiae celebrarentur, ob hanc coniunctionem pueros et puellas novorum nominum frumentariae perceptioni adscribi praecepit. <sup>3)</sup> Alexander Severus puellas et pueros quemadmodum Antoninus Faustinos instituerat, *Mammaeanas* et *Mammaeunos* instituit. <sup>4)</sup> Denique Macrinus populo Romano promittebat, Antoninum filium pueros *Antoninianos* et puellas *Antoninianas* daturum esse, qui tam grati nominis gloriam propagarent. <sup>5)</sup> Verum iis demum temporibus, quibus religio Christiana orbem terrarum magis magisque illustrare coeperat, haec aliaque huiusmodi instituta laete efflorescere potuerunt, quae quidem caritate illa, cui haec religio summa omnia tribuit, tanquam firmiore nituntur fundamento. Exstiterunt enim favente ecclesia *xenones*, *orphanotrophia*, *gerontocomia*, *ptochotrophia*, *nosocomia*, *brephotrophia*. <sup>6)</sup>

Sed ut persequamur ea, a quibus orsi sumus, Traiani successor Hadrianus laudis cupidissimus, omnes

<sup>1)</sup> Iul. Cap. in vita 8.

<sup>2)</sup> Huic inscriptionem fecerunt pueri et puellae alimentarii Urbini (Grut. MXXII, 6. Eckhel D. N. VII, p. 22, 40, 48. Henzen, l. l. p. 19) et Ficulae (Marini Inscr. Alb. p. 42.) Instituit idem postea novas puellas Faustianas in honorem uxoris mortuae (Capit. l. l. 26. Henzen l. l. p. 20.)

<sup>3)</sup> Iul. Cap. in vita 7. <sup>4)</sup> Lamp. in vita 57.

<sup>5)</sup> Lamp. Ant. Diadum. c. 2. <sup>6)</sup> Cod. I, 2, 17 et 22.

professores et honoravit et locupletavit, licet eos quaestionibus semper agitaverit: — doctores, qui professioni suae parum apti videbantur, ditatos honoratosque a professione dimisit. <sup>1)</sup> Credebat se omnibus in rebus praestare aliis sic ut facile reportaret victoriam de adversariis, quibus Favorinus philosophus, cui in primis Hadrianus favebat: „non recte suadetis, familiares, qui non patimini me illum doctorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.” <sup>2)</sup> Tum Athenaeum ludum ingenuarum artium primus constituit, <sup>3)</sup> quod saepius posterioribus temporibus memoratur et ad varios usus adhibitum est. Sic Pertinax pompam ad Athenaeum paraverat, ut audiret poëtam. <sup>4)</sup> Pugnam commemorans, quae facta est inter Didium Iulianum et Severum Dio Cassius <sup>5)</sup> narrat: *καὶ ὅς συναγαγὼν ἡμᾶς ἐς τὸ Ἀθῆναιον καλούμενον ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ τῶν παιδευομένων ἀσκήσεως, τὰ παρὰ τῶν στρατιωτῶν ἐδήλωσε*, unde apparet, senatum in Athenaeum convenisse. Alexander Severus ad Athenaeum, ut Graecos et Latinos rhetores vel poëtas audiret, saepe adiit <sup>6)</sup> et Gordianus, ubi adolevit, in Athenaco controversias declamavit audientibus etiam imperatoribus suis. <sup>7)</sup>

<sup>1)</sup> Spart. Hadr. 8. <sup>2)</sup> I. l. 16.

<sup>3)</sup> Aur. Vict. de Caes. 14, 3.

<sup>4)</sup> Iul. Cap. in vita, 11. <sup>5)</sup> LXXIII, 17.

<sup>6)</sup> Lampr. in vita, 35.

<sup>7)</sup> Iul. Cap. in vita, 3.

Præterea Hadrianus et Smyrnae gymnasium instituit et Athenis, quam urbem et aliis magnificis aedificiis et bibliotheca in templo Herac et Iovis Panhellenii instruxit. Antoninus Pius<sup>1)</sup>, quo regnante Herodes Atticus et Fronto eloquentiae fama floruerunt, scholas publicas in provinciis condidit, rhetoribusque ac philosophis omnium sectarum annua sestertia sexagena publice constituit. Quanto honore M. Antoninus philosophus literas habuerit praeceptorum statuæ aureae ab ipso in sacello domestico positæ luculenter probant. Idem Imperator Athenis magistros instituit in omni genere doctrinae in gratiam omnium hominum et quidem<sup>2)</sup> octo philosophiae professores, duos Platonicos totidemque Peripateticos, Stoicos et Epicureos. Plures præterea memorantur, qui thronum habebant sophisticum ut Lollianus, Adrianus, Theodotus, quibus cura quaedam omnium discipulorum commissa fuisse videtur.

Emolumenta, quibus fruebantur literarum antistites, erant varia. Docet Lucianus professoribus philosophiae et rhetoricae quotannis data esse 10,000 drachmarum;<sup>3)</sup> alii talentum, alii 600 aureos quotannis acceperunt.<sup>4)</sup> Eumenius rhctor, iubente Constantio Chloro, ex aerario urbis Augustoduni 60,000

---

<sup>1)</sup> Iul. Cap. in vita, 11.

<sup>2)</sup> Dio Cass. LXXI, 31.

<sup>3)</sup> Eunuch. 3. Philostr. l. l. II, 2.

<sup>4)</sup> Phil. l. l. II, 20. Tatian. Apol. p. 70.

H. S. quotannis accipiebat.<sup>1)</sup> Eo tempore iam non amplius e fisco, sed ex aerario urbano, stipendia solvenda erant literarum magistris. Libanius<sup>2)</sup> de mala queritur fortuna professorum in urbe Antiochia, quibus stipendium e publico accipiendum magistratuum negligentia aegre solvebatur et qui praeterea discipulorum avaritia emolumentis fraudabantur. Alexander Severus adhuc rhetoribus, grammaticis, medicis, haruspicibus, mathematicis, mechanicis, architectis salaria instituit et auditoria decrevit et discipulos cum annonis, pauperum filios modo ingenuos; dari iussit.<sup>3)</sup> Multis oneribus liberi erant professores iam a primis imperatorum temporibus. Grammaticis et oratoribus et medicis et philosophis, ne hospitem reciperent, concesserat Vespasianus, quod confirmavit Hadrianus;<sup>4)</sup> a quo praeterea multis aliis oneribus liberati sunt. Antoninus Pius numerum eorum, qui vacationem munerum haberent, constituit epistola,<sup>5)</sup> ex qua minores civitates poterant quinque medicos immunes habere et tres sophistas et grammaticos totidem; maiores civitates septem, qui curarent, quatuor, qui docerent utramque doctrinam; maximae autem civitates decem medicos et rhetores quinque

---

<sup>1)</sup> Eum. pro inst. schol. 11, 14.

<sup>2)</sup> Or. Tom. II, p. 91, 95 ed. Morell.

<sup>3)</sup> Lamp. in vita, 44. <sup>4)</sup> Dig. L, 4, 18, § 30.

<sup>5)</sup> Dig. XXVII, 1, 6, § 2.



et grammaticos totidem. Supra hunc numerum ne maxima quidem civitas immunitatem praestaret. Maximo numero uti poterant metropoles gentium, secundo, quae habebant forum causarum vel loca iudiciorum, tertio reliquae. Codex Theodosianus plurima continet decreta seculi quarti et quinti, quae confirmabant, quin augebant professorum emolumenta. Quamquam ab aliis principibus eadem interdum imminuta sunt. Constantinus, devictis adversariis, promulgavit edictum (a. 321), quo mercedes praeceptoribus et salaria reddi praecepit, iussitque eos immunes esse cum rebus, quas in civitatibus suis possiderent; prohibuit eos in ius vocari vel iniuriam pati: si quis autem eos vexavisset, centum milia nummorum aerario inferret. Servus iis si iniuriam fecisset, flagellis a domino erat verberandus coram eo, cui fecisset iniuriam, vel, si dominus consensisset, viginti milia nummorum hic fisco inferre debebat.<sup>1)</sup> Tum a. 333 priorum principum beneficia confirmans, medicos et professores literarum, uxores et filios eorum ab omni functione et ab omnibus muneribus publicis vacare praecepit, nec ad militiam comprehendi, neque hospites recipere, nec ullo fungi munere, quo facilius liberalibus studiis multos instituerent.<sup>2)</sup> Edictum Imperatorum Gratiani, Valentiniani et Theo-

<sup>1)</sup> C. Th. XIII, 3, 1.

<sup>2)</sup> C. Th. XIII, 3, 3.

dosii haec emolumenta sic imminuit, ut professorum filii aliis aequarentur. <sup>1)</sup> Idem principes a. 382 et dein Valentinianus, Theodosius et Arcadius a. 390, duas fecerunt constitutiones, <sup>2)</sup> quibus professores rhetoricae et grammaticae liberarent muneribus, quae dicuntur, sordidis, quae quidem ad peculiares et temporales pertinebant usus. Quae tamen immunitas nec uxorum facultatibus indulta nec ad heredes extensa erat. Ex his autem constitutionibus effici potest, munera a Constantino data iam magna pro parte fuisse sublata. Honorius et Theodosius Imperatores constitutione a. 414 omnia illa emolumenta confirmarunt, additis his: „quae omnia filiis etiam eorum et coniugibus illibata praecipimus custodiri; ita ut nec ad militiam liberi memoratorum trahantur inviti. <sup>3)</sup> Idem sanxerunt Theodosius et Valentinianus constitutione a. 427. <sup>4)</sup> Valens, Gratianus et Valentinianus a. 376 constituerunt emolumenta, quibus donarentur praeceptores. <sup>5)</sup> Oratoribus (rhetoribus) viginti quatuor annonae, <sup>6)</sup> Grammaticis Latino vel Graeco duodecim praestandae erant. Non enim liberum iudicabant, ut esset cuique civitati suos doctores et magistros placito sibi iu-

1) C. Th. XII, 1, 98.

2) C. Th. XI, 16, 15, 18.

3) C. Th. XIII, 3, 16 et 17.

4) C. Th. XIII, 3, 18.

5) C. Th. XIII, 3, 11.

6) Amm. Marc. XXII, 4. Lamp. Alex. Sev. XLII.

vare compendio. Clarissimae autem Treverorum civitatis rhetor triginta, Grammaticus Graccus vel Latinus duodecim annonas acciperet. <sup>1)</sup>)

Lata est a. 425 lex de professoribus publicis Constantinopolitanis, cuius capite primo vetat Theodosius magistros alios extra professorum publicorum numerum Constantinopoli publice docere poena infamiae et exsilii; quibus tamen privatim seu intra domesticos parietes unius tantum familiae liberos docere permittit. Publicos vero et statutos professores vetat idem alibi, quam in Auditorio publico i. e. in Capitolio docere; si vero quisquam eorum privatim doceret, privilegiis suis omnibus privaretur. <sup>2)</sup>) Erant autem haec et alia et hoc, ut comitivam obtinerent primi ordinis dignitatem, et aequarentur ex-vicariis, qui viginti annos publici fuissent professores. <sup>3)</sup>) Quod quidem sic constituit, ut academiae dignitati, quam conditurus erat, prospiceret. Numerus autem professorum publicorum esset triginta unus: Romanae eloquentiae tres oratores, decem grammatici: <sup>4)</sup>) Graecae quinque sophistae et decem grammatici, porro adiungebantur unus, qui philosophiam doceret, et duo, qui Iuris ac legum formulas panderent, qui in prioribus huius Impe-

<sup>1)</sup>) Cf. C. Th. XIII, 3, 1. <sup>2)</sup>) C. Th. XIV, 9, 3.

<sup>3)</sup>) C. Th. VI, 21.

<sup>4)</sup>) Graecis igitur sophistae dicebantur, qui apud Romanos rhetores audiebant. Eodem sensu σοφιστεύειν occurrit apud Socratem Hist. eccl. IV, 26.

ratoris constitutionibus non reperiuntur.<sup>1)</sup> Iuris ac legum formulae autem sunt textus vel lectiones iuris.<sup>2)</sup> Loca quoque et auditoria singulis assignanda erant professoribus in porticibus Capitolii earumque exedris, de quibus diserte agitur in eiusdem anni lege.<sup>3)</sup>

Antiquioribus temporibus iuris scientia in ipso foro acquirebatur, postea demum iuris scholae existerunt. Iam medio fere seculo tertio Beryti in Phoenicia, in patria Papiniani et Ulpiani, celebris aderat iuris schola, quae ea florebat fama, ut Iustinianus in Constitutione ad antecessores<sup>4)</sup> praeciperet, ut ius nusquam alibi nisi Romae, Constantinopoli et Beryti doceretur et quidem in duabus ultimis urbibus lingua Graeca; qui contra facerent e loco suo expellerentur. Quia autem in toto orbe Romano tres tantum erant publicae scholae iuris, aliae opportunitates iuris addiscendi non defuisse videntur. Publicae autem illae iuris scholae sic erant ordinatae, ut primo anno prima elementa discerent alumni, secundo Edicti audirent interpretationem, tertio praelectiones in priores octo libros Responsorum Papiniani, quarto Responsa Pauli, quinto Constitutiones. Variis annis varia habebant nomina, nam primo anno dupondii, tum edictales, dein Papi-

<sup>1)</sup> C. Th. XIII, 3, 16.

<sup>2)</sup> Amm. Marc. XXX, 4. Iuv. VIII, 50.

<sup>3)</sup> C. Th. XV, 1, 53.

<sup>4)</sup> § 7.

nianistae, porro *λύται*, denique *προλύται* dicebantur. Mutavit haec Iustinianus sic, ut discipuli primo anno audirent institutiones et *τὰ πρῶτα* legum; secundo quosdam Digestorum libros, quos ipse praescribit; tertio Digestorum libros XX, XXI et XXIII; quarto reliquos Digestorum libros; quinto Codicem. Nomina vero praeterquam primi anni discipulorum, qui nunc audiebant: Iustineanei novi: non mutavit.<sup>1)</sup>

Medicinae studium Romae in primis laete effloruit, ex quo tempore Iulius Caesar medicos civitate donavit,<sup>2)</sup> qui honos multis Vespasiani, Hadriani, aliorumque Imperatorum rescriptis firmatum est.<sup>3)</sup> Alexander Severus medicis salarium dedit, iisque posteriorum Imperatorum constitutiones vario modo prospexerunt.<sup>4)</sup> Clara erat Alexandria cultu medicinae, cui si quis in hac urbe operam dederat, optimam afferebat sui commendationem.

De scholis, ubi aliae docebantur artes, nulla fit mentio post Constantinum et Constantium. Unus Alexander Severus memoratur salaria et auditoria cum discipulis decrevisse et aliis et mechanicis et architectis.<sup>5)</sup> Fieri potest, ut postea scholae privatae adfuerint, in quibus disciplinae illae traderentur. Constantinus enim,<sup>6)</sup> cui deërant architecti ad no-

1) Constit. ad Antecessores § 2, 3, 4, 5.

2) Suet. in vita 42. 3) Dig. L, 4, 18 § 30.

4) C. Th. XIII, 3.

5) Lamp. in vita, 44.

6) C. Th. XIII, 4, 1, 3.

vam aedificandam urbem, patres familiarum immunitatibus multis invitavit, ut liberos suos, qui ad annos ferme duodeviginti liberales literas degustavissent, in architecturae scholas mitterent. Idem ille pariterque filius eius Constantius ardorem discipulorum in studiis geometricis, hydraulicis, mechanicis incitare conati sunt.

Si de cura quaeritur, quam Imperatores ipsorum discipulorum egerint, praeter Diocletiani constitutionem,<sup>1)</sup> qua muneribus municipalibus liberabantur iuvenes liberalibus studiis et iurisprudentiae Beryti operam dantes, memoratu dignum est edictum Imperatorum Valentiniani, Valentis et Gratiani anni 370. Valentinianus, qui aliis quoque legibus fauctorem se probavit bonarum literarum, quique hoc nomine a Themistio philosopho valde laudatur,<sup>2)</sup> eo vixit tempore, quo multi iuvenes e provinciis in primisque ex Africa studiorum causa Romam con-

<sup>1)</sup> Cod. X, 49, 1. Imp. Diocletianus et Maximianus AA. Severino et aliis scholaribus Arabiae. Cum vos affirmetis, liberalibus studiis operam dare, maxime circa iuris professionem, consistendo in civitate Berytiorum Provinciae Phoeniciae, providendo utilitati publicae et spei vestrae docernimus, ut singuli usque ad vicissimum quintum annum aetatis suae studiis non avocentur.

<sup>2)</sup> In Or. XI, ad Valentinianum iuniorem: ἐπὶ τινος γὰρ τῶν βασιλέων αἱ Μοῦσαι τσοῦτον ὄσον ἐπὶ τοῦ σοῦ πατρὸς ἐξέλαμψαν καὶ ἐξήνθησαν; τίς δὲ οὕτως ἠρέβισε τὰς ψυχὰς τῶν νέων ἐπὶ τοῦς λόγους;

fluebant. Haec enim urbs magno tunc florebat numero iuris et eloquentiae professorum, quam Sidonius Apollinaris<sup>1)</sup> domicilium legum et Cassiodorius<sup>2)</sup> foecundam eloquentiae matrem vocant.<sup>3)</sup> Simul vero magna ibi pericula iuvenibus imminebant propter morum corruptelam frequentesque libidinibus indulgendi opportunitates,<sup>4)</sup> quibus ne abriperentur, verum ut strenue in studia incumberent, Valentinianus undecim constituit leges Academicas, quae sane magnam eius iuvenum curam testantur. Prima iubet Romam profecturos veniam a iudicibus sive rectoribus provinciarum petere literasque afferre indicantes patriam, parentumque, quibus orti essent, dignitatem et genus. Secunda iubet adolescentes, Romam ubi venerint, literas illas ad Magistrum Census deferre; tertia apud eundem fortasse quibusnam studiis operam daturi venerint dicere. Quarta haec est, qua nota esse velit hospitia studiosorum Censualibus, ne iis uterentur, quibus a proposito abducerentur nec studiis suis operam navare possent. Quinta lege eosdem iubet Censuales consortiis et conversationi scholarium invigilare, ne abducerentur ad pravas consociationes criminibus proxi-

<sup>1)</sup> I, Ep. 6.   <sup>2)</sup> Variarum, IV, 6.

<sup>3)</sup> Rut. Num. Itiner. I, 207 :

Facundus iuvenis Gallorum nuper ab arvis  
Missus Romani discere iura fori.

Augustinus Romam processerat, ut ius disceret (Confess. VI, 8).

<sup>4)</sup> Amm. Marc. XIV, 6. XXVIII, 4.

mas. Sexta vetat, ne spectacula frequentius adeant, quorum studio Romae incolas arsisse notum est; septima ne conviviis intempestivis intersint. Octava lege iubet studiosum, qui indignè sese in urbe gesserit, verberibus publice affici, urbeque pelli, navigioque impositum domum remitti. Nona lege constituit tempus studiis concessum, qua permittitur studiosis ad vicesimum usque aetatis annum studiorum causa Romae manere. Decima lege iubet praefectum urbis Romae commonere officium censuale brevibus suis studiosorum nomina annotare per singulos menses: quinam studiosi vel unde venerint et quinam pro ratione temporis Romae exacti, domum remittendi sint, exceptis Corporatorum oneribus adiunctis, i. e. qui corpori alicui Urbis Romae sociati essent. Cuius exceptionis haec ratio erat, quod, cum ideo studiosis ultra constitutum tempus Romae manere non concederetur, ne diutius patria iis careret muneraque publica declinarent, aliarum civitatum utilitatem Romae tanquam communi patriae cedere aequum censebatur. Intererat enim Aeternae Urbis augeri corporatis, qui ibi necessitatibus publicis prospicerent. Denique postrema lege iubet breves istos ad se principem mitti et quidem singulis annis, ut ita meritis singulorum institutionibusque compertis, utrum quandoque futuri sibi sint necessarii, iudicare ipse possit<sup>1)</sup>.

---

<sup>1)</sup> C. Th. XIV, 9, 1; ad q. 1. cff. Interpr.



Romae autem disciplinam scholasticam melius servatam esse quam in aliis locis, docet Augustinus, qui causas explicans, cur Carthagine Romam perrexisset ad docendum rhetoricam: „Illa,” ait „erat tum causa maxima et paene sola, quod audiebam quietius ibi studere adolescentes et ordinatiore disciplinae coërtione sedari, ne in eius scholam, quo magistro non utuntur, passim et proterve irruant, nec eos admitti omnino, nisi ille permiserit. Contra apud Carthaginem foeda est et intemperans licentia scholasticorum: irrumpunt impudenter et prope furiosa fronte perturbant ordinem, quem quisque discipulis ad proficiendum instituerit. Multa iniuriosa faciunt mira hebetudine et punienda legibus, nisi consuetudo patrona sit.”<sup>1)</sup>

De professoribus monet Lucianus:<sup>2)</sup> *ἔδει δὲ ἀποθανόντος αὐτῶν τίνος ἄλλον ἀντικαθιστάσθαι δοκιμασθέντα ψήφῳ τῶν ἀριστῶν* et Iulianus:<sup>3)</sup> „iudicio Ordinis probatus decretum curialium mereatur, optimorum conspirante consensu.” Ordo decurionum igitur in municipiis et senatus in urbibus Constantinopoli et Roma suadentibus professoribus alios nominabant professores, quem tamen dilectum Imperatoris probationi debebant submittere. „Nulli” inquit Iustinianus, „salarium tribuatur ex viribus reipublicae, nisi ei, qui iubentibus nobis specialiter

<sup>1)</sup> Aug. Confess. V, 8. <sup>2)</sup> Eunuch. 3.

<sup>3)</sup> Cod. X, 52, cf. C. Th. XIII, 3, 5.

fuerit consecutus." <sup>1)</sup> Erat hoc aequum, verum Imperatores non semper ea lege bene utebantur, cuius rei luculentissimum praebet exemplum eadem Iuliani constitutio alio revera, quam quo videtur, spectans. Etenim iam dudum ante Imperatores vel ipsi, ut Marcus, professores elegerant, vel aliis legendos commiserant. Illic enim ipse, teste Philostrato, Theodorum, Philiscum, Pollucem elegerat, Herodique Sophistae professorum, quod vocant, examen mandaverat. Tum, si inter Curiales non conveniret de eo, qui legendus esset, ad principem de eo referebatur, ut docent Lucianus <sup>2)</sup> et Libanius. <sup>3)</sup> Sed, ut apparet ex ipsius Iuliani Interdicto et c multis christianorum scriptorum testimoniis, id omnium maxime hic egit Imperator, ut Christianos grammaticos et rhetores a docendi munere submoveret. Certe Eunapius refert de Proaeresio: *Ἰουλιανοῦ βασιλεύοντος τόπων τοῦ παιδεύειν ἐξεργάμενος· ἐδόκει γὰρ εἶναι χριστιανός.* — Lata est Iuliani lex a 362, verum iam a. 364 Christianis iura sua reddita sunt; videtur enim Valentiniani constitutio <sup>4)</sup> "si qui erudiendis adolescentibus vita pariter et facundia idoneus erit, vel novum instituat auditorium vel repetat intermissum" eo pertinuisse, ut Christianis, quos a docendi munere submoverat Iulianus, docendi libertas restitueretur.

<sup>1)</sup> Cod. X, 36. C. Th. XIII, 3, 5. <sup>2)</sup> Eunuch. 12.

<sup>3)</sup> De fortuna sua 14. <sup>4)</sup> C. Th. XIII, 3, 6.

Vidimus igitur, multos Imperatores curam non tantum institutionis sed etiam educationis habuisse, recteque de iis dictum mihi videtur: „quo magis literarum senectus ingravesceret, eo acrius languentem vitam stimulis excitaverunt.<sup>1)</sup> Libertate sublata in primis corrupta erat eloquentia in scholis rhetorum. Aderant quidem ultimis quoque imperii Romani temporibus, qui ingenio non carerent, sed deerat iis libertatis bonum, quo veluti spiritu oratio animatur, quodque si absit, tanquam ex effectis ac debilitatis lateribus, non sane generosa vox, sed inanis fractusque sonus editur.<sup>2)</sup>

Ad summum vigorem pervenit sub Imperatoribus iuris scientia, quae ideo praestantissimos viros alligere debuit, quia, antiquis institutis iam plerisque neglectis, memoriam eorum quam maxime revocare videbatur. Sed in media ruina ne ipsa quidem stare potuit. Papinianum et Ulpianum praestantissimos iurisconsultos, qui Caracallae Alexandrique tempore floruerunt, posteriores ita secuti sunt, ut iis tamen se longe inferiores esse ostenderent.

Grammaticae studium tamdiu stetit, quamdiu rhetoricae opera data est. Quod ad ceteras disciplinas attinet, philosophiam volo et medicinam, habuerunt

---

<sup>1)</sup> C. Monnard l. l. p. 52.

<sup>2)</sup> A. Van Goudoever, de diversa eloquentiae Romanae conditione libera republ. et sub Imperatt. in Commentatt. Latinis Tertiae classis Inst. reg. Belg.; vol. III.

quidem alibi suos cultores, floruerunt tamen praecipue in peculiaribus sedibus. In Graecia philosophorum, Alexandriae in Aegypto medicorum celeberrimae fuere scholae. Taceo de scholis aliis disciplinis, veluti architecturae, destinatis: de quibus nihil fere in medium proferri potest. Eo nunquam pervenere Romani, ne ultimis quidem temporibus, ut in unam scholam coniungerent omnium artium atque disciplinarum, quae tunc colebantur, professores. Quam ob causam de universitatibus, quae dicuntur, apud eos sermo esse non potest. In schola illa celeberrima, quae a. 425 a. n. Constantinopoli condita est, praeter rhetoricam et grammaticam Graeca Latinaque lingua expositam, philosophia et ius tradebantur; in aliarum vero urbium scholis plerisque rhetorica et grammatica tantum in censum veniebant. Iurisprudentia enim Romae, Constantinopoli et Beryti sedes suas legitimas habuit, et quod ad philosophiam attinet, haec in maiorum tantum urbium scholis nonnullis locum suum tenuit. Scholae autem illae sic cohaerebant cum antiquis sacris, ut una cum his interirent, sensimque omnis literarum cultus translatus sit in monasteria, quae, ingruentibus barbariae temporibus, tutum fuere bonarum literarum refugium. Cura, quam liberorum pauperum habuerunt Imperatores, probat quidem magnos in humanitate progressus, multum tamen abest ut, quae illi instituerunt, comparari possint cum institutis, quae posterioribus effloruerunt temporibus. Quamquam enim

inter Romanos non defuerunt, qui pracclare mone-  
rent de gravissimis erga pueros officiis, in hominum  
tamen societate suus demum iis assignatus est locus,  
quum in omnes vitae necessitudines permanare  
coeperant sacra illa, quorum divinus auctor dixerat:  
"Αφετε τὰ παιδιά ἔρχεσθαι πρὸς μέ, μὴ κω-  
λύετε αὐτά· τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία  
τοῦ θεοῦ."

---

## QUAESTIONES.

---

### I.

Romae patres nimiam habuerunt in liberos potestatem.

### II.

Romanis ars gymnastica non fuit.

### III.

Ultimis liberae reipublicae temporibus toga virilis dabatur inter annos 14 et 16 expletos.

### IV.

Nequaquam constat, computandi artem in Romanorum scholis traditam esse.

## V.

Scriptores apud Romanos mercedem non accipiebant ab iis, quibus scripta sua edenda tradebant.

## VI.

Tribuni plebis reipublicae Romanae profuerunt.

## VII.

Ludi Magni distinguendi sunt a ludis Romanis.

## VIII.

Quae Suetonii verba (de Clar. Rhet. 1) Osannus legit: „eos sibi nomen imposuisse *Latine scilicet rhetoras*” sic sunt legenda: „eos sibi nomen imposuisse *Latinos rhetoras*.”

## IX.

Emenda sunt vv: „*namque arbores multis locis erant raras*,” in Nepotis Miltiade c. 5.

## X.

In eiusdem Aristide c. 2. verba: „quo Mardonius *fusus* barbarorumque exercitus *interfectus* est” non sunt mutanda.

## XI.

In Ciceronis ad Quint. fr. ep. I, 1, 21: „apud quem *primus* lictor quievit” pro *primus* ponendum est *proximus*.

## XII.

In eadem epistola (1, 22) legatur: „quod si haec lenitas grata Romae est, ubi tanta arrogantia est, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magistratus, tot auxilia, tanta vis *populi*, tanta senatus auctoritas.”

## XIII.

Locus Ciceronis (Tusc. Disp. I, 8, 15) sic est legendus: „Quia si *mors* etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus. In vita nunc video calcem, ad quam quum sit decursum, nihil sit praeterea extimescendum.”

## XIV.

Verba XII Tabularum: „hominem mortuum in urbe ne *sepelito* neve *urito*,” perperam interpretatur Cicero (de Leg. II, 23, 58.) „Quod autem addit *neve urito* indicat non, qui uratur, sepeliri sed qui humetur.”



## XV.

In Dial. de Orat. 5. „(Maternus) omittit studium, quo non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest” post vv. ad utilitatem fructuosius cum Rittero addenda sunt: *vel ad voluptatem dulcius.*

## XVI.

In Plat. de Rep. I, 329 C. Πῶς, ἔφη, ὦ Σοφόκλεις, ἔχεις πρὸς τὰ Φροδίσια; ἔτι οἷός τε εἶ γυναικί συγγίγνεσθαι; Καὶ ὅς, Εὐφήμεϊ, ἔφη, ὦ ἄνθρωπε· ἀσμεναίτατα μέντοι αὐτὸ ἀπέφυγον, ὥσπερ λυττῶντά τινα καὶ ἄγριον δεσπότην ἀποφυγῶν. verba: ἔτι οἷός τε εἶ γυναικί συγγίγνεσθαι deleantur et pro αὐτὸ ἀπέφυγον legatur αὐτὸ ἀπέφυγον.

## XVII.

Apud eundem de Rep. V, 451 A. ἐλπίζω γὰρ οὖν ἔλαττον ἀμάρτημα ἀκουσίως τινὸς Φονέα γενέσθαι ἢ ἀπατεῶνα καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν καὶ δικαίων νομίμων πέρι, eūcienda est vox δικαίων.

## XVIII.

In Dem. Olynth. II, p. 20: ἡ πρώτη πρόφασις  
καὶ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε καὶ  
διέλυσεν ultima vox removenda est.

## XIX.

In Soph. Aiace v. 139:

μέγαν ὄκνον ἔχω καὶ πεφόβημαι  
πτηνῆς ὡς ὄμμα πελειάς.

pro ultimis legendum est:

Φηνῆς ὡς ὄμμα πελειάς.

## XX.

Eurip. Androm. vs. 6 et 7:

νῦν δ', εἴ τις ἄλλη, δυστυχεστάτη γυνή.  
ἐμοῦ πέφυκεν ἢ γενήσεται ποτε.

sic sunt legenda:

νῦν δ' οὔτις ἄλλη δυστυχεστέρα γυνή  
ἐμοῦ πέφυκεν ἢ γενήσεται ποτε.

## XXI.

Non recte agunt illi, qui liberos suos a primis  
inde annis peregrina lingua instituendos curant;  
sic enim facile oritur in iis contemptus patriae lin-  
guae simulque perversa exterarum gentium imitatio.

## XXII.

Valde errant, qui statuunt puero omnia esse tradenda, quibus ipsi adolescenti opus erit.

## XXIII.

Literis recentioribus operam navari in scholis, quae dicuntur, Latinis non probamus.

---

## ERRATA.

---

Pag.	ix,	linea	10	scriptum	commendaveris	lege	commenda-
							veritis.
"	"	"	13	"	debeo	"	debeam.
"	xI,	"	18	"	allicere	"	allicis.
"	14,	"	22	"	εὐρομενος	"	εὐρόμενος.
"	28,	"	19	"	παιδιών	"	παιδιων.
"	32,	"	14	"	exeruit	"	exemit.
"	61,	in nota	2	"	eximit	"	instruit.
"	73,	linea	2	"	existunt	"	exsistunt.
"	96,	"	25	"	numera	"	munera.
"	118,	"	16	"	libri	"	librorum.
"	148,	"	2	"	iuvenisse	"	invenisse.
"	162,	"	9	"	nobibium	"	nobilium.

Leviora corrigat benevolus lector.

---

185835

185835

[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a set of notes.]